# ANGELO POLIZIANO SILVAE (2387 vers)

## AMBRA

P_1

Spicea si Cereris templo suspensa corona
donum erat agricolae quondam ; si vinitor uvam
seposuit Bromio, quoties praedivite cornu
copia se fudit ; placidam si lacte recenti
pastores sparsere Palem, spumantia postquam
complerant olidam supra caput ubera mulctram,
primitias et quisque sui fert muneris auctor ;
cur ego non vocem hanc, aut si quid spiritus olim
concipit egregium, si quid mens ardua conscit
rarum insigne sibi, si quo se murmure jactat
lingua potens, cur non totum in praeconia solvam
Maeonidae magni, cujus de gurgite vivo
combibit arcanos vatum omnis turba furores ?
Utque laboriferi ferrum lapis Herculis alte
erigit, et longos Chalybum procul implicat orbes
vimque suam aspirat cunctis ; ita prorsus ab uno
impetus ille sacer vatum dependet Homero.
Ille, Jovis mensae accumbens, dat pocula nobis
Iliaca porrecta manu, quae triste repellant
annorum senium vitamque in saecla propagent.
Ille deum vultus, ille ardua semina laudum
ostentat populis, ac mentis praepete nisu
pervolitat chaos immensum caelum aequora terras,
vimque omnem exsinuat rerum, vocesque refundit
quas fera, quas volucris, quas venti atque aetheris ignes,
quas maria atque amnes, quas dique hominesque loquantur.
Quin, nudam virtutem ipsam complexus, honores
fastidit vanos, et ineptae praemia famae
despicit, exemptus vulgo ; ac jam monte potitus,
ridet anhelantem dura ad fastigia turbam.
Vos age nunc tanti, precor, incunabula vatis
divinosque ortus, Clio, dictate canenti
(muneris hoc vestri), longis siquidem obsita saeclis
fama tacet, centumque deae premit ora vetustas.
Iverat Aethiopum solitas invisere mensas
Oceanumque senem et foecundae Tethyos antra
Juppiter, Aetnaeoque manum exarmaverat igni
contentus scaeptris ; frontem tranquilla serenat
majestas, sanctoque nitet pax aurea vultu,
nimbi hyemes tonitrusque procul ; regem omne deorum
concilium, facie cultuque insigne, secuntur.
Bistoniis Mars instat equis ; tu jungis olores,
Phoebe, Therapnaeos ; Getica Mars fulgurat hasta ;
contendis tu, Phoebe, fides, arcusque retendis.
Lyncas agit Bromius, pavos Saturnia pictos,

tardos Luna boves, annosas Delia cervas,
grypas Hyperboreos Nemesis, Cytherea columbas.
Fert pedibus pinnas puer Arcas, crine galerum,
et chelyn incurvam atque incurvam sustinet harpen,
paciferaque duos virga discriminat angues ;
coryton puer Idalius calamosque facemque,
Alcides clavam et Nemeaei vellera monstri,
Tartaream Pallas galeam et Phorcynida gestat.
Concordes gemino radiantur Castoris astro ;
claviger in semet redeuntem computat annum
jam dextra deus. At Saturnum lanea compes
Mulcibero jubet ire parem ; nec dextra, Prometheu,
non tua Caucaseae meminit ferrata catenae.
Arma deos sua quemque decent. Nec segnius alti
numina conveniunt pelagi : rex ipse biformes
arduus urget equos, saevoque tridente minatur
Euroque Boreaeque, et vultu temperat Austros ;
solus equo Zephyrus tremulis persultat in undis,
ipse sinu facilem molli fovet Amphitriten.
Ludunt Nereidum simplex chorus : illa sororem
provocat et blando certat superare natatu ;
haec junctum delphina regit, premit illa leonem ;
trux vehit hanc aries, olido sedet illa juvenco ;
insultant aliae monstris quae plurima vastus
subluit Oceanus scopulis (horrentia cete,
ballaenam pistrinque et physetera, marinos
- siqua fides vero est - efflantem ad sidera fluctus) ;
quasdam et semiferi dorso Tritones amico
excipiunt bifidaeque ligant curvamine caudae,
et nunc tortilibus permulcent aequora conchis,
dulcia nunc flexis cervicibus oscula captant.
It Phorcus pater ; it Glaucus, longamque per undas
canitiem trahit et nymphis luctantibus instat.
Inousque puer, glauca cum matre, repulsas
nunc subter lascivit aquas, nunc improbus extat
pube tenus, conchasque et rubra corallia vellit.
Tu quoque non dubio frontem laxare severam
tandem ausus risu, Proteu. Verum una peremptum
plorat adhuc natum Thetis, et crudelia divum
numina, crudeles Parcas miseranda lacessit ;
ac precibus mixtas obliquans saeva querelas,
exitiique reum citat, et convicia fundit.
Tum, vix passa toro primos accumbere divum,
procurrit turbata comas et pectore nudo
(sic dolor ille monet), laevaque amplexa verendi
genua Jovis, dextraque attentans supplice barbam,
talibus affata est : "O qui stellantia nutu
regna quatis, videne ut magna de gente dearum
sola ego perpetuo (quid enim mea vulnera celem ? )
Tabescam luctu, vestrasque infesta profanem
has epulas ? Quodnam ob meritum, pater optime ? Certe
non ego vincla tibi, scis o scis ipse, parabam,
magne sator ; non Corycio tua tela sub antro
servabat Thetis anguipedi jurata Typhoeo.
Nec nunc mortalis thalamos humilemque maritum
conquerimur : fuerint Parcarum vellera justis
invida connubiis ; liceat timuisse Tonanti.
Quamquam o ! ... Sed taceo. Cur autem, summe deorum,

cur meus Aeacides Latoia tela cruentat,
te minor ? An ne etiam subolem damnavimus ipsae
aut faciem, Titani, tuam ? Sed vertite, quaeso,
me quoque jam dudum in silicem, nec marmora solum
tristibus aeternum lacrimis Sipyleia manent.
Hos certe ingrato cineri mutisque sepulchris
(quando aliud quid sit ? ) genetrix persolvat honores,
si neque perpetuae saltem illum munere laudis
dignaris, pater, et Lethen parva accolet umbra".
Talia verba refert, genibusque affixa Tonantis
haeret, inexhaustum lacrimans sparsisque capillis.
Jamque deos omnes dictis et imagine moesta
flexerat ; invidiam sensit, vultusque retorsit
ad Venerem Phoebus. Tum divam, pauca moratus,
sublevat Omnipotens, verbisque ita mulcet amicis :
"Ne crede aeterno incisas adamante revelli
posse deum leges : stant omne immota per aevum
quae triplices nevere colus. Nec funera nati
flet Thetis una sui ; communes desine casus
adnumerare tibi, ac totam hanc circumspice turbam :
scilicet invenies consortes undique luctus,
me quoque in his, siquidem transegit Opuntia cuspis
ductorem Lyciae, et moribundum in pulvere mersit.
Nec tu digna tamen (fateor), ni fata repugnent,
quae tam saeva gemas, quae mortales Hymenaeos,
Nerei, pertuleris ; nec solus Apollinis arcus
pignora divarum Phrygiis tamen obruit arvis :
est etiam cui Memnoniam Pallantias urnam
imputet. Atque adeo tristes ut pectore curas
excutias animumque leves, reddetur Achilli
ingens tantorum pretium (mihi crede) laborum.
Nam neque Cerbereos rictus nec Erinnydas atris
anguibus implicitas inamoenaque Tartara passus,
Elysium tenet : hic magna venerabilis umbra
mutatis pulchram auspiciis sibi Colchida junget,
Solis et Oceani volventi progener aevo.
Utque Rhodos Solem, Venerem Paphos atque Cythera,
Junonemque Samos, Cereremque Typhoias Aetne,
me mea Creta colit ; sic nato candida Leuce,
Leuce quae Scythicis procul insula personat undis,
templa tuo ponet : nautis hic ille sub alto
fata canet luco venturae nuntia sortis.
Adde quod et pulchro tradetur pulchra marito
Tyndaris Aeacidae, stellis fulgentibus ardens,
meque dabit socerum : thalamis en sternuit istis
pulcher Hymen, gratasque vices sortita Voluptas
jam nunc dividuos juveni despondet amores.
Utque tuos artus nunc dulci Gratia nodo,
nunc Paphie roseis nectit, Vulcane, lacertis,
sic illum formosa Helene, formosa Cytaeis
auferet alternum, et lentus festa otia ducet.
Famaque (ne dubita) centeno gutture vestros
indefessa canet caeloque aequabit honores :
audiet hos et quem torrenti flammeus astro
Carcinus aestiferis late dispescit harenis,
et quos Herculeae summorunt orbe columnae,
atque hominum primi Blemyae, quosque altior axis
cogit Hyperboreos subter durare Triones.

Nulla virum gens, nulla dies, nusquam ulla tacebit
posteritas, nulla teget invida nube vetustas.
Quippe deum sancta nascetur origine vates,
qui lucem aeternam factis immanibus addat,
qui regum fera bella tonet grandique tremendas
obruat ore tubas, cujus vocalia Siren
pectora et Aonidum miretur prima sororum.
Ille tuum, Theti, Peliden venientibus annis
dedet honoratum, serisque nepotibus unum
Thessalus exemplum virtutis habebitur heros.
Quondam etiam nostro juvenis de sanguine cretus,
dux bello invictus, Gangen domiturus et Indos
atque Semiramias fracturus cuspide turres,
felicem tanto praecone vocabit Achillem.
Et dubitabis adhuc obductae nubila frontis
atque importunas Euris mandare querelas ?
Quin audes laxare animum, vultusque priores
induis, et laetis hilarem te coetibus infers ? "
Dixerat. Illa oculis jam dudum absterserat imbrem
laeta omnem, aetherio grates agit inde Tonanti ;
instauratque comas, cultusque habitusque decoros
accipit. Hic divam glaucarum tota sororum
circumfusa cohors studio excolit ; ipsa sibi obstat
sedulitas : pars multifidi discrimine dentis
caesariem comit, molli pars colligit auro
effusam, pars fingit acu crinemque lapillis
spargit Hydaspeis ; hae baccas auribus addunt
restituuntque sinus, illa aurea cingula donat,
donat Erythraeis haec plena monilia conchis.
Laetantur Nereusque pater grandaevaque Doris.
Continuo redit ille decor, suffusaque pulchris
fax radiat tranquilla genis ; procul exulat omnis
tristitia, insuetam tentant nova gaudia mentem.
Haut aliter verno cum pulsa rosaria nimbo
frondentis rutilum virgae spoliantur honorem,
defluit exspirans dominae cruor, ictaque lapsis
commoritur fovis halantum gratia florum ;
ast ubi mox clarum jubar aureus exseruit sol,
augescunt recidiva novis tum germina truncis,
laetaque nativas ostentat purpura gemmas.
Jamque implere fidem divini coeperat oris
Aeacides, thalamo et templis et honoribus auctus,
cum partum ingentem memor extulit Ilithyia.
Hermaeo praetenta sinu fuit inclyta quondam
urbs toti praelata Asiae ; Boebeius illam
conjugis extinctae monimentum nobile Theseus
esse dedit Smyrnes, arcemque in monte locavit
prospectantem undas semel et sua tecta tuentem,
quo flet maesta silex Niobe Niobesque sepulchrum.
Hic placido fluit amne Meles, auditque sub altis
ipse tacens antris meditantes carmina cycnos.
Haec vatem eximium tellus (ita sancta vetustas
credidit), haec illum dias in luminis oras
prima tulit. Pater, Aonii deus incola luci,
ductare assuetus thiasos sacrisque sororum
responsare choris et par contendere Phoebo,
furtivo pulchram implerat Critheida fetu.
Inde capax nato ingenium, largusque verendae

scilicet haustus aquae : primo (si credimus) ille
vagitu horrisoni sternebat murmura ponti,
pacabat ventos, mollibat corda ferarum ;
ipsa etiam lacrimas Sipyleia fundere cautes
destitit audito. Reptabat maximus infans
fluminis in ripa ; reptantem, mollibus ulnis
Nais harenivagum rapiebat saepe sub amnem
ostensura patri, et rursum exponebat in ulva
flore breves cinctum aut apio rorante capillos.
Vosque, Eteocleae (ni mendax fama) sorores,
misistis lectas Horarum a fonte corollas ;
flavaque virgineam puero immulsisse papillam
dicitur, Actaeo ceu quondam, Pallas, Erechtheo.
Ipse, ut jam certo vestigia ponere nisu
utque datum varia voces effingere lingua,
gaudebat calamos Hyblaeis jungere ceris,
dilectos Bromio calamos, gaudebat et uncam
ore inflare pio ac digitis percurrere loton.
Grande tamen calami reboant, grande unca remugit
tibia : saepe illum vicina Faunus in umbra
demirans, auris tacitus tendebat acutas,
et subito puerum Satyri cinxere theatro ;
cum Satyrisque ferae, sed quae nil triste minentur ;
cumque feris silvae, sed quae alta cacumina motent,
multifidaeque sacris adnutent legibus aurae.
Ipsi quin etiam riguo Pactolus et Hermus
certatim affluxere auro ; jussosque tacere
ripa ab utraque suos Maeander misit olores,
Maeander sibi met refluis saepe obvius undis,
Maeander sub humum pudibundo flumine labens,
quod puerum ignarus Carpon, dum ludit in unda,
delicias nati, mox natum merserat alveo,
infelix genitor ; sed venti id crimen amantis.
Verum ubi primaevae dubio se flore juventae
induit, ac plenis adolevit fortior annis,
carmen amat, carmen (proh maxima numina vatum ! )
carmen Apollineo tantum modulabile plectro,
carmen Caucaseas silices cautemque Sicanam
quod trahat, et rigidi leges infringat Averni,
exarmetque Jovis minitantem fulmine dextram.
Jamque insana sacrum vis insertusque medullis
exstimulat vatem Aeacides, jam parturit altum
mens opus, et magnis animosa accingitur ausis.
Ille tamen quaenam ora sui qui vultus Achilli
qui ve oculi, quantus maternis fulguret armis,
scire avet (ah nimius voti ! ) ; violentaque fundens
murmura, terribilem tumulo ciet improbus umbram.
Continuo Sigeus apex concussus in aequor
procumbit, raucumque gemit Rhoeteia contra
litora, et effusis tremit ardua fontibus Ide,
semiustumque cavo Xanthus crinem abdidit antro.
Ecce tuens torvum, nec vati impune videndus,
Phthius honoratis heros adstabat in armis,
qualis Peliaca Teucros obtriverat hasta,
Priamiden versa a Danais dum quaereret ira
ultor, et heu fluviis miseros campisque fugaret.
Flammeus ignescit thorax, auroque minatur
terrifico radiatus apex ; in nubila surgit

fraxinus, et longa rursum Hectora vulnerat umbra ;
ipse ardens clypeo ostentat terramque fretumque,
atque indefessum solem, solisque sororem
jam plenam, et tacito volventia sidera mundo.
Ergo his defixus vates, dum singula visu
explorat miser incauto, dum lumina figit,
lumina nox pepulit ; tum vero exterritus haesit,
voxque repressa metu, et gelidos tremor impulit artus.
At juvenem sacer Aonium miseratus Achilles
(quandoquidem, Saturne, tuas inflectere leges
haut licitum cuiquam), clypeo excipit, oraque jungens
inspuit augurium ; baculum dat deinde potentem
Tiresiae magni, qui quondam Pallada nudam
vidit, et hoc raptam pensavit munere lucem,
suetus inoffensos baculo duce tendere gressus.
Nec deest ipse sibi ; quin sacro instincta furore
ora movet, tantique parat solatia damni.
Aeaciden tamen, Aeaciden caelo aequat et astris,
Aeaciden famae levat arduus alite curru,
unum Dardanidis, unum componit Achivis
Aeaciden, unum ante omnis miratur amatque.
Ac primum irarum causas trepidique tumultus
expedit, utque luem neglecta induxerit aegris
relligio populis ; ut regem irritet amantem
Thestorides ; ut acerba fremens, vix temperet ipso
ense puer Thetidis, vix magni sanguine Atridae
abstineat, divae admonitu ; quae jurgia contra
dux ferat incensus dictis ; quo vulnera Nestor
melle riget ; quantum amisso dux frendeat alter
munere ; quos nato genetrix exoret honores ;
quid doleat Juno ; caelo quid portet ab alto
insidiosa quies ; quae rex obliquet inertis
temptamenta fugae ; faciat Laertius heros
quantum operae pretium, cum dulcibus aspera miscet,
cum vaga clamosae reprimit convicia linguae,
cum suadet durent castris, praesagaque monstrat
fata deum, memorat platanum infantesque volucres
cum matre absumptas versumque in saxa draconem ;
quo Pylius fremat ore senex, ut pacta fidemque
deploret dextrasque datas, ut fulmina narret
missa polo, ac pretium ostentet victoribus urbem ;
quae facies Danaum, cum sese in munia Martis
accingunt, quantum dux ore et pectore et armis
emineat. Tum Pieridas, sua numina, rursum
consulit, Hectoreasque Agamemnoniasque phalangas
enumerans ; ipsos icto mox foedere amantis
committit, victumque rapit Phryga nubibus atris.
Victorem Atriden nec opino vulnerat arcu ;
tum pugnam instaurans toto dat funera campo,
haut dubitans alta Tydiden strage cruentum
Dardanio Lycioque duci totidemque repente
objectare deis, Glauci post munere pulchro
insignem auratis ostentaturus in armis.
Quid nunc Sidonio tentatam Pallada peplo,
quid memorem lacrimas Thebaeae conjugis, et te,
parve puer, cristas et cassidis aera timentem ?
Teque, heros, longe gradientem et torva tuentem,
quassantemque procul metuendam cuspidis umbram,

atque ausum corde impavido solum Hectora contra
stare diu ? Quid te populorum fata duorum
lancibus aequantem imparibus, rex magne deorum,
aut miseros tonitru Danaos et lampade saeva
terrentem ? Quid te vallo castrisque minantem,
Priamide armipotens ? His rursum adjungitur ardens
heu precibus nihil et donis inflexus Achilles ;
exceptusque Dolon, et somno proditus heros
Othrysius, tacitaque aversi nocte jugales
qui superent candore nives, qui cursibus aequent
flamina ; mox ipsi ferro telisque repulsi
ductores Danaum, clypeoque interritus Ajax,
tutari sociam classem Iliacumque paratus
ductorem et ferrum et flammam exceptare Jovemque,
quem caesto tamen Idalio conjunxque sororque
implicat et Somni facies, mentita volucrem,
dum pater aequoreus fessis aspirat Achivis.
Nec mora : Peliacis cum longe horrendus in armis
emicat, et nubem belli defensat Achivis
Actorides, ac sanguineo Sarpedona campo
obruit, heu magni prolem Jovis ; inde secundis
elatus rerum, Balium Xanthumque jugales,
quos Zephyro peperit geminos Harpyia Podarce,
et te captivo funalem, Pedase, collo
igneus exstimulat, Scaeaeque in limine portae
concidit, ah, tanti nimium securus amici.
Nam quid Panthoiden foedantem sanguine crinis
illos, proh dolor !, argentoque auroque micantis,
quid primos querar heroum pro corpore functo
certatim obnisos inter se haut cedere certos,
atque animam exanimum funus super exhalantes ?
Ecce suum tandem cantor Smyrnaeus Achillem
suscitat, ardentem clypeo atque Hyperionis orbem
orbe lacessentem pulchro et caelestibus armis,
ingentique manu Centaurica tela tenentem,
atque immortaleis adigentem in praelia bigas.
Hic vero obversis Victoria remigat alis,
dum rapit inferias, dum curribus ille virisque
atque armis et equis minitantem infestior implet
Xanthon et arsuras angustat caedibus undas.
Vix ego nunc si mille sonent mea pectora linguis,
voxque adamante rigens, atque indefessus anhelet
spiritus infusum totos paeana per artus,
bella deum narrem, terram ipsam immane gementem,
clangentemque polum, Martemque in jugera septem
porrectum multoque comas in pulvere mersum ;
aegidaque horrificam protectamque aegide pectus
Pallada, nil magni metuentem fulmina patris ;
imbellemque deum Venerem, et te, Phoebe, tridenti
submittentem arcus, et te, Latonia virgo,
jam pavidam ac vacua linquentem castra pharetra.
Nec si Castalios ipsis a fontibus amnes
hauriat os avidum, nec si Pirenida lympham
Pimpleosque bibat latices, aequare canendo
Hectora sanguineum violentumque ausit Achillem :
Hectora pro patria charisque penatibus unum
stantem animis contra, qualis draco pastus amaros
per brumam sucos venientem expectat iniquus

pastorem, et tumido furiatus felle cruentum
spectat, hians immane, cavoque advolvitur ingens ;
Aeaciden autem caedem et crudele ferentem
exitium, qualis vasti canis Orionis
per noctem exercet radios saevumque minatur.
Jamque illum ante oculos amborum ante ora parentum
raptatum Haemonio circum sua moenia curru,
jam funus, Patrocle, tuum, Priamumque superbos
porrectum ante pedes, atque auro supplice victum
dixerat invictum juvenem, lamentaque saeva
Iliadum, moestosque rogos cineremque sepultum,
cum subito in somnis Ithaci experientis imago
visa viro, sic ampla humeros, sic pectora fundens,
sed letale gerens vulnus : namque inscia nati
dextera quaesitum per caerula vasta parentem
protinus aequoreae viroso trigonos ictu
perculerat, sive ira deum seu fata jubebant.
Atque ait : "O magnae qui princeps debita laudi
praemia persolvis, qui lenta oblivia saeclis
excutis et seros famam producis in annos,
anne tot exhaustos nobis terraque marique
Lethaeo mersos fluvio patiere labores ?
Nec sua reddetur virtuti gloria merces ?
Namque licet virtus semet contenta quiescat,
sola tamen justos virtus adsciscit honores,
solaque se merito laudum fulgore coronat ;
quin etiam ignaris praeferre nepotibus optat
prima facem, ac monstrare viam quae tendat in altum
culmen, et e celso scandenti porgere dextram.
Quem neque posteritas neque tangit fama superstes,
nempe aliis exempla, sibi vitam invidet amens.
Ergo sub Iliacis tractantem proelia muris
Graius Achilleis populus donaverit armis,
tu vero emenso quae gessi plurima ponto
quaeque tuli nullo, vates, dignabere cantu,
quem solum vocat iste labor, cui pectore pleno
defluit illa meae felix opulentia linguae ?
Incipe ; namque adero, et praesens tua coepta juvabo".
Haec ait ; et pariter somnusque Ithacusque recessit.
Ille, novo rursus Musarum percitus oestro,
concinit abiegnae Danaos compagibus alvi
occultos, et equi molem, fraudemque Sinonis,
indiciique metu praeclusum pollice fauces
Anticlon Ortygiden ; populataque Pergama flammis,
disjectasque rates, patriumque a Pallade missum
fulmen ; Oilidenque ignes et sulfura fixo
pectore proflantem, teque, importune Caphareu ;
nec faciles Ciconas, fortunatosque ciborum
Lotophagos, vinoque gravem Cyclopa per antrum
exporrectum ingens, humanaque frusta vomentem
mixta mero ; inque bovis constrictos tergore ventos,
et Lamium Antiphaten, et virgam et pocula Circes,
Cimmerionque domos, Everridenque locutum
vera senem ; fusoque allectos sanguine Manis,
et maris illecebras, vocemque impune canorae
virginis auditam, Scyllamque avidamque Charybdin ;
Lampetienque patri violata armenta querentem ;
immersosque undis socios, ipsumque natantem

litus ad Ogygies et Atlantidos antra Calypsus ;
Neptunumque iterum ventosque undasque cientem,
Leucotheamque piam, Corcyraeosque recessus
hospitio faciles, subitumque in gurgite montem ;
assertumque larem tandem, ultricesque sagittas.
Ergo tegunt geminae victricia tempora laurus
vatis Apollinei ; geminis ergo arduus alis
fugit humo, celsumque altis caput intulit astris,
par superis ipsique Jovi, quo nulla rebellis
spicula Livor agat, quo nulla aspiret iniquae
tempestas foeda invidiae : sic eminet extra
liber et innocuus, toto sic ille sereno
perfruitur gaudens ; magni ceu purus Olympi
supra imbres vertex et rauca tonitrua surgit,
despectatque procul ventorum proelia tutus.
Quo nunc divitias animosi carminis ore
exsequar ? Haut illi plena se conferat urna
Hermus et aurata radians Pactolus harena
et Tagus et Durius, latebris quodque eruit audax
Dalmata, quodque procul Bessus rimatur et Astur,
fusile Callaeca quodque in fornace liquescit,
decolor in toto quodque invenit Indus Hydaspe,
quemque Rhodos fulvis hausit de nubibus imbrem,
quodque manu dea caeca tenet praedivite cornu.
Utque parens rerum fontes et flumina magnae
suggerit Oceanus terrae, sic omnis ab istis
docta per ora virum decurrit gratia chartis ;
hinc fusa innumeris felix opulentia saeclis
ditavit mentes, tacitoque infloruit aevo.
Omnia ab his et in his surit omnia, sive beati
te decor eloquii, seu rerum pondera tangunt.
Nam quae tam varium Memphitis stamen arundo
separat, aut quae sic Babylonos texta potentis
sollicita pinguntur acu, quae tanta colorum
gloria cum pinnis Zephyri rorantibus adsunt !
Quantus honor vocum, quam multis dives abundat
floribus et claris augescit lingua figuris !
Sive libet tenui versum deducere filo,
seu medium confine tenet, seu robore toto
fortior assurgit ; seu vena paupere fertur
aridius, celeri seu se brevis incitat alveo,
gurgite seu pleno densisque opulentior undat
vorticibus, sive humentes laeto ubere ripas
daedala germinibus variat : majore nec unquam
sermo potens meminit se majestate loquentem.
Quod si facta virum victuris condere chartis,
flectere si mavis orando et fingere mentes,
hunc optato ducem : non causas doctius alter
personamque locumque modosque et tempus et arma
remque ipsam expediat, dum nunc jactantior exit,
nunc contorta ruit, nunc se facundia profert
simplicior, varia nunc floret imagine rerum.
Dulcius eloquium milli nec apertior unquam
vis fandi fuit aut quae mentibus acrior instet :
indole quemque sua pingit, sua cuique decenter
attribuit verba et mores ; unumque tenorem
semper amat, meminitque sui, scit et unde moveri
et quo sit prodire tenus, fusumque gubernat

arte opus, et mediis prima ac postrema revincit.
Nunc teneras vocat ad lacrimas, nunc igneus iram
suscitat ; interdum retrahit, probat, arguit, urget ;
nunc nova suspendunt avidas miracula mentes,
foeta bonis, ipsum utiliter celantia verum.
Quidquid honorato sapiens canit ore vetustas
doctaque multijugae post hunc divortia sectae,
hinc haustum : sive infantis cunabula saecli,
seu conspirantes pugnaci foedere causas
discordemque fidem et genitalia semina rerum,
seu potius mundi fines divumque rotatas
contemplere domos atque obluctantia caelo
sidera ; quae magnum vis tanta Hyperionis orbem
torqueat, exhaustam reparet quo fonte sororem,
ausam fraternis mediam se opponere flammis
et subitis violare diem lucemque tenebris ;
conscia fatorum num mens animaverit astra ;
unde tremat tellus, trifidane impulsa laboret
cuspide Neptuni, caecis an terga cavernis
subdat atrox Boreas nostrum erupturus in orbem.
Ventorum nunc ille vices, nunc fulminis ortus
monstrat et elisis crepitantes nubibus auras ;
curque ruunt imbres, subitus cur lumina fulgor
sic ferit ut medium credas discindere caelum ;
esse deum mentem immensam rerumque potentem,
cunctaque complexum, stabili qui lege gubernet
naturam mundique vices, qui fata solutis
subjuget arbitriis, qui temperet omnia solus ;
esse animos leti exsortes, sed corpore claudi
ceu tumulo, quos in varias tamen ire figuras
hoc dictante docet tacitae dux ille cohortis,
ante ortus memor usque sui sibique ipse superstes.
Quin et praecelsa rationem sistit in arce
ceu dominam, tristes in pectore concitat iras,
viscera degeneri damnata cupidine passus ;
nec tacet unde aeger cruciat dolor, unde rebellem
it furor in rabiem, cur pallent ora timentum,
genua tremunt, stant corda gelu, stant vertice crines ;
quae summi sit meta boni, quae ve orbita rectum
signet iter, quo se confundat devius error,
quot virtus fluat in rivos, quo cardine honestum
vertatur, rebus quantum Fortuna caducis
praesit, ut humanos toleret mens cruda tumultus ;
quae cives mensura premat, quo robore leges
firmentur, plus consilio res crescat an armis
publica, quas belli tentet dux callidus artes ;
quam vocum sit amica fides, quam magna gregandis
relligio numeris ; quantis praesagia signis
consultes, quantum sucos rimata salubres
ardua Paeoniae valeat solertia dextrae.
Hinc et magniloquis voces crevere cothurnis ;
hinc lasciva datos riserunt compita soccos ;
hinc hausisse jocos teneri creduntur amores,
quique astricta brevi claudunt epigrammata nodo.
Quin et Apellaeos digitis animare colores
monstrat ; Olympiaco quin is dedit ora Tonanti
(nec faber ille negat), dum nigris mota laborant
cuncta superciliis, immortalesque secuntur

astra jubas, sancta dum majestate tremendum
excipiunt magnoque assurgunt numina patri ;
heroumque idem facies, et celsa potentum
ora deum, variisque horrenda animalia formis,
diversasque urbes positusque habitusque locorum
innumeros, sensusque animorum, carmine pulchro,
naturamque omnem, illa ipsa mirante, figurat.
Huic aras, huic templa dedit veneranda vetustas,
hunc aere, hunc saxo fulvoque colebat in auro ;
hunc unum auctorem teneris praefecerat annis,
rectoremque vagae moderatoremque juventae ;
hunc etiam leges vitae agnovere magistrum.
Omnis ab hoc doctas sapientia fonte papyros
irrigat ; hunc proprias olim Gangetica tellus
transtulit in voces ; hujus natalia septem
quaeque sibi rapiunt studiis pugnacibus urbes ;
hunc et Sithonii patientem jura flagelli
asseruit patrio vindex Ptolemaeus ab amne.
Hunc quoque captivo gemmatum clausit in auro
rex Macedum, mediis hunc consultabat in armis,
hoc invitabat somnos, hinc crastina bella
concipere, huic partos suetus jactare triumphos.
Et nos ergo illi grata pietate dicamus
hanc de Pierio contextam flore coronam,
quam mihi Caianas inter pulcherrima nymphas
Ambra dedit, patriae lectam de gramine ripae ;
Ambra, mei Laurentis amor, quam corniger Umbro,
Umbro senex genuit, domino gratissimus Arno,
Umbro suo tandem non erupturus ab alveo.
Quem super aeternum staturae culmina villae
erigis hautquaquam muris censura Cyclopum
(macte opibus, macte ingenio), mea gloria Laurens,
gloria musarum Laurens ; montesque propinquos
perfodis et longo suspensos excipis arcu,
praegelidas ducturus aquas qua prata supinum
lata videt Podium, riguis uberrima lymphis,
aggere tuta novo piscosisque undique septa
limitibus, per quae multo servante Molosso
plena Tarentinis succrescunt ubera vaccis,
atque aliud nigris missum (quis credat ? ) Ab Indis
ruminat ignotas armentum discolor herbas ;
at vituli tepidis clausi fenilibus intus
expectant tota sugendas nocte parentes.
Interea magnis lac densum bullit ahenis,
brachiaque exsertus senior tunicataque pubes
comprimit et longa siccandum ponit in umbra ;
utque piae pascuntur oves, ita vastus obeso
corpore sus Calaber cavea stat clausus olenti,
atque aliam ex alia poscit grunnitibus escam.
Celtiber ecce sibi latebrosa cuniculus antra
perforat ; innumerus net serica vellera bombyx ;
at vaga floriferos errant dispersa per hortos
multiforumque replent operosa examina suber,
et genus omne avium captivis instrepit alis ;
dumque Antenorei volucris cristata Timavi
parturit, et custos Capitoli gramina tondet,
multa lacu se mersat anas, subitaque volantes
nube diem fuscant Veneris tutela columbae.

# MANTO

## PRAEFATIO

P_2_1 Stabat adhuc rudibus Pagasaeo in litore remis
quae ratis undosum prima cucurrit iter.
Dum tamen extremis haerent succincta ceruchis
lintea, dum nautas flamina nulla vocant,
conveniunt Minyae gemini Chironis ad antrum,
qua fugit obliquo garrula lympha pede,
quaque ingens platanus genialibus excubat umbris ;
explicat hic faciles rustica mensa dapes.
Crescit fronde torus, vernant in flore capilli,
sed viret Herculeis populus alba comis.
Dat puer Aeacides nivea carchesia dextra,
sed suus Alcidae pocula miscet Hylas.
Finis erat dapibus : citharam pius excitat Orpheus,
et movet ad doctas verba canora manus.
Conticuere viri, tenuere silentia venti,
vosque retro cursum mox tenuistis, aquae ;
jam volucres fessis pendere sub aethera pinnis,
jamque truces videas ora tenere feras ;
decurrunt scopulis auritae ad carmina quercus,
nudaque Peliacus culmina motat apex.
Et jam materno permulserat omnia cantu,
cum tacuit, querulam deposuitque fidem.
Occupat hanc audax, digitosque affringit Achilles,
indoctumque rudi personat ore puer.
Materiam quaeris ? Laudabat carmina blandi
hospitis, et tantae murmura magna lyrae.
Riserunt Minyae ; sed enim tibi dicitur, Orpheu,
haec pueri pietas grata fuisse nimis.
Me quoque nunc magni nomen celebrare Maronis
(si qua fides vero est) gaudet et ipse Maro.

## SILVA

P_2_2 Est dea, quae vacuo sublimis in aere pendens
it nimbo succincta latus, sed candida pallam,
sed radiata comam, ac stridentibus insonat alis.
Haec spes immodicas premit, haec infesta superbis
imminet : huic celsas hominum contundere mentes
successusque datum et nimios turbare paratus.
Quam veteres Nemesin, genitam de Nocte silenti
Oceano dixere patri. Stant sidera fronti,
fraena manu, pateramque gerit ; semperque verendum
ridet, et insanis obstat contraria coeptis,
improba vota domans ; ac summis ima revolvens,
miscet et alterna nostros vice temperat actus,
atque huc atque illuc ventorum turbine fertur.
Viderat haec domitis tumidam te, Graecia, Persis,
signa quoque Eoum victricia ferre sub orbem ;
viderat et cantu Aonio eloquiisque superbam

ire altum, magnumque loqui, caeloque supinum
insertare caput, nec dis te ferre minorem.
Mox, fastus exosa gravis, cervice coegit
ferre jugum, et Latiis superatam subdidit armis.
Nec fandi permansit honos : tu namque potenti
protinus ore tonans, ardentis fulmine linguae
cuncta quatis, Cicero ; Pyliae non mella senectae,
nec jam Dulichias audet conferre procellas,
sponte tibi virides transcribens Graecia palmas.
Se tamen Aoniae solatur fronde coronae :
deerat adhuc Latio vatum decus, horrida quamquam
bella tubasque rudi cantaverat Ennius arte.
Editus ecce Maro, quo non felicior alter,
seu silvas seu rura canit sive "Arma virumque" :
namque Syracosiis cum vix assurgat avenis,
Hesiodum premit et magno contendit Homero.
Ergo, age, quis centum mihi nunc in carmina linguas
immensumque loqui vocemque effundere ahenam,
quis mihi det Siculas Latio clangore sorores
post Geticam superare chelyn, dum te, optime vatum,
imbellis pietas audaci promere cantu
audet, Atlanteasque humeris fulcire columnas ?
Unde ego tantarum repetam primordia laudum ?
Aut qua fine sequar ? Facit ingens copia rerum
incertum. Sic frondifera lignator in Ida
stat dubius, vastae quae primum robora silvae
vulneret : hic patulam procero stipite fagum,
hic videt annosam sua pandere brachia quercum,
illic succinctas caput exertare cupressos ;
metiturque oculis Phrygiae nemora alta parentis.
Te nascente, Maro, Parnassi e culmine summo
affuit Aonias inter festina sorores
Calliope, blandisque exceptum sustulit ulnis,
permulsitque manu quatiens, terque oscula junxit,
omina ter cecinit, ter lauro tempora cinxit.
Mox aliae dant quaeque tuis munuscula cunis
certatim : dant plectra, lyram, pellemque pedumque,
dant et multiforam modulanda ad carmina loton,
et decrescenti compactas ordine avenas,
dant Pandionias volucres ; ter murmure placant
liventis oculos, ter frontem baccare tangunt.
Venit et Elysio, venturi praescia, Manto ;
Manto quae juvenem fluvio conceperat Ocnum,
Ocnum qui matris dederat tibi, Mantua, nomen.
Venit ; et horrentes quatiens vittamque comasque,
sanguineamque rotans aciem, sic ora resolvit
plena deo, et veras excussit pectore voces :
"Dicebam, memini memini, tibi, Mantua, quondam :
"Surge, bonis avibus fundata et fulmine laevo ;
surge, paremque astris contende educere molem,
pyramidum supra sumptus. Pro, quanta manet te
gloria ! Quam longum senibus celebrabere saeclis !
Nascetur, video, supera tibi missus ab arce
sidereus vates, alti cui numinis haustum
mens caelo cognata ferat, quem grande sonantem
non Linus Inachides tantum atque Oeagrius Orpheus
aut mea qui Tyrio construxit moenia plectro,
sed vos, o Musae, sed tu mireris, Apollo".

Et nunc, ecce, puer tranquillae ad limina lucis
ille diu promissus adest, vitamque salutans
has teneris jam nunc mulcet vagitibus auras.
Euge, beate puer, sanguis meus ! Horreat ortus
Graecia tota tuos, laurumque habitura secundam
Ascra, Arethusa suis metuant et Smyrna coronis.
Incipe adhuc gracili connectere carmina filo,
incipe, magne puer ; nec vota intexere diris
impia, nec Culici gemitum praestare merenti,
nec te Lampsacium pudeat lusisse Ithyphallum,
blandaque lascivis epigrammata pingere chartis ;
Acmonidas refer et Brontem Volcaniaque antra,
ignivomosque apices montis, raucoque trementem
murmure Trinacriam, quoties per nubila flammas
eructat tentatque latus versare Typhoeus ;
dic Scyllam subitis miseram quae se induit alis,
Scyllam quae nimio flagrans Minois amore,
ah, potuit rigido genitorem invadere ferro,
crudelis, potuit cano spoliare capillo ;
crudelis : sed quis duro contendat Amori ?
Crudelis : sed culpa tua est, tua culpa, Cupido.
Atque haec prima novi fuerint elementa poetae,
haec fuerint timidae praeludia prima juventae.
Jam vatem jam, Roma, vocas ; jam saeva recessit
paupertas, praestatque piis grata otia Musis
Tuscus eques. Nosco hunc, atavis qui regibus ortus,
discinctum juvenem ; cerno et te, maxime princeps,
purpureos inter proceres sanctumque senatum
pendentem stare ad numeros atque ora tenentem.
Tu, tamen, o miserae nimium vicina Cremonae,
quid fles amissum, quid fles, mea Mantua, campum
pascentem niveos herboso flumine cycnos ?
Nonne vides, ingrata, tuis quae praemia damnis
accumulent Superi et solatia quanta rependant ?
Ipsa en Roma tuo sese quoque jactat alumno.
Jamque Phalantei resonant pineta Galesi,
Tityre, te vacuo meditantem murmur in antro,
jamque tuam dociles recinunt Amaryllida silvae.
Nigraque dum raucum tremulis evibrat ab alis
carmen, et epoto canit ebria rore cicada,
montibus, ah, solis formosum jactat Alexin
vocalis Corydon, et "Alexin" reddit imago.
Ecce autem imparibus dum sibila flectit avenis
impubis pastor, faciles dum ludit amores,
aureolo petit hunc malo lascivaque currit
ad salices nymphe furtivo prodita risu.
Sed majora vocant ; nunc, o nunc omnis abesto
impius, et casti linguisque animisque favento :
stelligero Deus ille, Deus se fundit ab axe,
aeterni mens certa Patris ; quique omnia nutu
torquet, Idumaeae se virginis inserit alvo,
aurea sparsurus redivivo saecula mundo.
Tu tamen ante alios felix, mea vera propago,
cui licitum, in silvis inter coryleta jacenti,
rimari quid fata parent, quid pulchra minentur
sidera ; quique, mihi divini pectoris haeres,
enthea Cumaeis incingas tempora vittis.
Verum age jam, gelidosque tegant umbracula fontis,

et fovis cumuletur humus, densique maniplis
inspirent flores, vacuoque incisa sepulchro
candida formosum testetur littera Daphnin,
Daphnin ad astra vocet tenero cava fistula cantu.
Ebrius interea nostri nutritor Iacchi
Silenus molli dormit resupinus in antro,
ebrius et nimio venas tumefactus alumno ;
securum pueri audaces atque improba Nais
invadunt furtim, deque ipsis vincla coronis,
quae senis e mutilo modo vertice defluxerunt,
injiciunt alacres, promissaque carmina poscunt,
carmina cum silvis totos mulcentia montis.
Jamque tuis, Minci, glauca sub arundine ripis
vincitur alterno Corydonis carmine Thyrsis.
Jam repetit querulam damonis tibia Musam,
Damonis Musam scopuli pinusque loquuntur.
Sed quid, io, tam dulce tibi est, Galatea, sub undis,
quam formosa vocet nequiquam ad litora Cyclops ?
Infelix Cyclops ! Sed enim infelicior illo
Gallus amat, queriturque suam procul esse Lycorin :
Gallus, quem rigidae flevere in montibus orni,
cujus amorem omnes nequeunt mutare labores ;
Gallus, quem frustra verbis solatus Apollo est.
Haec sat erit limas inter cecinisse capellas
pastorem. Tu victricem fer, Mantua, palmam.
Ecce, lacertosi quaerunt nova turba coloni
quo segetes veniant campo, quo sidere tellus
vertatur, quod sit falcis, quod tempus aratri.
Egredere o silvis, juvenis, curruque levatus
Triptolemi, Latios foecunda messibus agros.
Nec caelebs jam palmes agat, sed reptet ad ulmum
ebrius, at dulci rubeat nova nupta marito ;
et pater Autumnus medio consurgat ab arvo
pomiferum viridi caput alte umbratus amictu,
atque, Acheloe, tuum teneat grave dextera cornu ;
stetque catenatas suadens nudare palaestras
Palladis ampla arbos bicoloribus horrida baccis,
frondibus et versis longum discriminet annum.
Jam laetos inter saltus frondosaque tesqua,
hinc vitulus primo cui frons protuberet aevo
mugitu tenero matrem vocet, inde per herbas
candida lascivo discurrat bucula saltu.
At quibus assurgunt pleno jam cornua gyro
inter se adverso decertent pectore amantes,
dum rudis exsultim florentis in aequore campi
ludit equus, volucresque fuga praevertere ventos
aut tranare amnis aut cursu evincere montem
gestit, Olympiacae rapturus dona coronae ;
lanigerumque pecus primo propellat Eoo
de stabulis pastor, dum pratis roscida lucent
gramina, dum teretes per flexa cacumina guttae
colludunt ; ipsae haerentes vix rupibus altis
aspera Cinyphiae carpant dumeta capellae.
Tum glomerata cavo fundant se examina saxo,
halantemque rosam et tenerorum germina florum
taurigenae populentur aves, plenoque recurrant
poplite : jam lentum teneat fundamina gluten,
jam portas arcemque et propugnacula condant,

ceraque nectareas ducat sexangula cellas ;
aut natos aut mella legant, fucosque repellant,
turpe pecus, jamque accinctae civilibus armis
expediantque manus rostris et spicula vibrent,
nocturnoque sonent mussantia castra susurro.
At tu quae tellus aestuque geluque laboras,
cui sacer hibernos Helicon intercipit ortus,
ne cessa acceptam nostrae submittere laurum.
Nec jam supremi certent de sanguine vatis
Smyrna Rhodos Colophon Salamis Chios Argos Athenae,
quippe Bianoream manet haec victoria gentem.
Namque meus timido qui rura et pascua versu
hactenus excoluit, stimulis tandem acribus actus
dediscetque metum validasque in pectora vires
contrahet, attonitoque canet fera pectine bella.
Qualis adhuc brevibus quae vix bene fidere pinnis
coepit avis, matrem primo nidosque loquaces
circumit et crebrum patula super arbore sidit ;
colligit inde animos sensim, et vicina volatu
stagna legit, terrasque capit captasque relinquit,
lascivitque fuga ; tandem et sublimia tranat
nubila, et iratis audens se credere ventis
in spatia excurrit, justisque eremigat alis.
Ac primum Siculis magnum producet ab oris
Laomedontiaden, undisque et turbine saevo
auferet in Libyen ; quem Dido ignara futuri
(sic placitum superis) animoque domoque receptet.
Reginaeque hospes, diri commenta Sinonis,
mendaces Graios, vanae perjuria gentis,
et populata matis Neptunia Pergama flammis,
se quoque jactatum referet terraque marique ;
illa avidis bibet ignem oculis, noctemque diemque
nutriet infelix vesanum pectore amorem.
Venatu tandem in medio Saturnia nimbum
pronuba diffundet, soloque Hymenaeus in antro
affuerit, nullasque faces, maestum, afferet, omen !
Fulgoresque dabit, nymphis ululantibus, aether.
Ipse Jovis monitu Aeneas rursum ire per undas
cogetur vento, rursum Itala quaerere regna,
surgentem Ausoniae solio impositurus Iulum.
At Phoenissa rogum saevo furiata dolore
inscendet moritura, trucesque in vota vocabit
Eumenidas ; mox et Phrygium, pro tristia dona,
ah, niveum per pectus aget miserabilis ensem !
Discolor interea taurino combibet ore
Iris aquas, iterumque antris effundet apertis
Hippotades hyemem, et rapidis ruet aequora ventis.
Zanclaeas iterum fessi ejicientur ad oras
Troes, et hospitio fidi accipientur Acestae :
hic patris ad tumulum sollemnis ordine pompas
dux feret, ac meritos celebrabit litore ludos.
Tum pelagus relegens, amisso praeside puppis,
vix tandem Euboica lacrimans potietur harena.
Atque ubi fata deum vivacis ab ore Sibyllae
hauserit, Infernas etiam descendet ad umbras
(o pietas ! ), Manesque petet per Averna paternos ;
Romanosque suos Lethaei ad fluminis undam
conferet, et magnos gaudens cognoscet Iulos

paciferumque ducem fulvo cui pulchra metallo
saecla fluent, cui pressa gravi pede bella jacebunt.
His laetus porta ad socios evadet eburna
dux Anchisiades, Thuscumque enabit ad amnem.
Necdum parta quies : restant bella aspera, restant,
et crassus multo stagnabit funere Thybris.
At tibi Castaliis renoventur pectora lymphis,
care nepos ; nunc, nunc ingenti est ore sonandum.
Grande opus a tergo : quis enim alto evincere cantu
clamoresque virum atque hinnitus speret equorum ?
Tu tamen evinces ; licitum tibi, maxime vatum,
arma acies furias Martem ipsum aequare canendo.
Jamque volans superas Alecto impune per auras
Tartareum canit, et resides stridentibus hydris
instimulat ; dux ipsa manu Saturnia saeva
claustra quatit belli, postesque irata refringit.
Jam Latiae coiere manus ; domat aspera duris
ora lupis sonipes, facilesque in pulvere gyros
flectit eques ; ipsae Alpino de vertice silvae
praecipitant, avidae Phrygios haurire cruores ;
jam rastri pondus rigidum diffingit in ensem
caedis amor, versique abeunt in pila ligones,
attritusque cava mutatur casside vomis ;
jamque aurem horrisono rumpunt fera classica bombo,
armorumque minax praestringit lumina fulgor.
Dumque alacres secum in Martem Cythereius heros
Arcadas et missum auspicio Pallanta sinistro,
audacem puerum, melioraque fata secutos
Tyrrhenos rapit, et tantis accingitur ausis,
ecce, furens Rutulus saevoque instinctus amore,
nequiquam in Phrygiam jaculatus lampada classem,
miratur subitas pelago consurgere nymphas ;
nec minus irrumpit castris, altamque cruentus
dat stragem, fluvioque evadit laetus amico.
Ultor adest, sociosque exponens litore tuto,
auspicium belli, maternis fulgurat armis
Dardanides, totasque in pugnam exsuscitat iras.
O qui sudor equis ! Qui se alto in pulvere reges
turpabunt ! Quanto exsurget rubra sanguine tellus !
Nec tuus hasta deus nec te tua dextera forti,
Mezenti, leto eripiet visque effera mentis,
sed consors nato accedes tumulique necisque.
At tu quo, nimio spoliorum et laudis amore
inconsulta, ruis ? Quin saevas, bellica virgo,
insidias prius et venientem respicis hastam ?
Tuque, miser, pone o rapti mala gaudia baltei
et caesi exuvias pueri ; invidiamque deorum,
Turne, cave ; dabis, heu, poenas, dabis, improbe, et istam
Evandro debes animam atque ultricibus umbris.
Sic tandem Iliacas properans pensare ruinas,
ad Teucros fessis revolat Victoria pinnis.
Grande tamen vobis leti solamen honesti,
magnanimi heroes nati felicibus astris,
afferet Aonius juvenis, cui dia canenti
facta virum totis pariter praeconia linguis
solvet Fama loquax, cui dulci semper ab ore
roscida mella fluent, cujusque Acheloia Siren
gestiet innocuo divina poemata cantu

flectere, cui blandis insidet Suada labellis,
cui decus omne suum cedet stupefacta vetustas.
Ipsa illi, quem vix ducibus largiris, honorem
sponte feres, totoque assurges, Roma, theatro".
Haec ubi veridico fudit de pectore Manto,
composuit vultum, teneroque arrisit alumno ;
osculaque ore legens sacrum inspiravit amorem,
afflavitque animum, tenuesque recessit in auras.
Plauserunt hilares ad tanta oracula Musae,
plauserunt nymphae ; quique alto e vertice montis
affuerat, capripes concussit cornua faunus ;
et triplices carmen scripsere adamante sorores.
Vos age nunc alacres certatim, Etrusca juventus
Aoniis operata sacris, accurrite mecum
daedala perpetui visum monumenta poetae,
qualia nec castae peplis intexta Minervae
sollemni, veteres, lustro explicuistis, Athenae,
picta rubro quoties animantur praelia cocco ;
nec vetus immensum fuerint quae sparsa per orbem
gloria septena celebrat spectacula fama.
Nam neque belligeris Babylon pulsata quadrigis
moenia, nec liquido pomaria pendula caelo
conferat, aut dextris constructa altaria Delos
cornibus, aut vasti molem Rhodos aurea Phoebi ;
non Cares, Mausole, tui caelamina busti,
Phidiacum non Elis ebur, non ipsa superbas
pyramidas jactet lascivi lingua Canobi.
Namque haec aut valido Neptuni quassa tridenti,
aut telo, Summane, tuo traxere ruinam,
aut trucibus nimbis aut irae obnoxia Cauri,
aut tacitis lenti perierunt dentibus aevi ;
at manet aeternum et seros excurrit in annos
vatis opus : dumque in tacito vaga sidera mundo
fulgebunt, dum sol nigris orietur ab Indis,
praevia luciferis aderit dum curribus Eos,
dum ver tristis hyems, autumnum proferet aestas,
dumque fluet spirans refluetque reciproca Tethys,
dum mixta alternas capient elementa figuras,
semper erit magni decus immortale Maronis,
semper inexhaustis ibunt haec flumina venis,
semper ab his docti ducentur fontibus haustus,
semper odoratos fundent haec gramina flores,
unde piae libetis apes, unde inclyta nectat
serta comis triplici juvenilis Gratia dextra.
Et quis, io juvenes, tanti miracula lustrans
eloquii, non se immensos terraeque marisque
prospectare putet tractus ? Hic ubere largo
luxuriant segetes ; hic mollia gramina tondet
armentum ; hic lentis amicitur vitibus ulmus ;
illinc muscoso tollunt se robora trunco ;
hinc maria ampla patent ; bibulis hoc squalet harenis
litus ; ab his gelidi decurrunt montibus amnes ;
huc vastae incumbunt rupes ; hinc scrupea pandunt
antra sinus ; illinc valles cubuere reductae ;
et discors pulchrum facies ita temperat orbem.
Sic varios sese in vultus facundia dives
induit : et vasto nunc torrens impete fertur
fluminis in morem, sicco nunc aret in alveo ;

nunc sese laxat, nunc exspatiata coercet ;
nunc inculta decet, nunc blandis plena renidet
floribus ; interdum pulchre simul omnia miscet.
O vatum pretiosa quies ! O gaudia solis
nota plis, dulcis furor, incorrupta voluptas,
ambrosiaeque deum mensae ! Quis, talia cernens,
regibus invideat ? Mollem sibi prorsus habeto
vestem aurum gemmas, tantum hinc procul esto malignum
vulgus. Ad haec nulli perrumpant sacra profani.

## NUTRICIA

P_3 Stat vetus et nullo lex interitura sub aevo
(divorum atque hominum concors incidit in auro
scilicet hanc Natura parens ; dictasse feruntur
fatorum consulta Themis, sollersque futuri
nondum Caucasea pendens de rupe Prometheus),
quae gratos blandae officio nutricis alumnos
esse jubet, longumque pia mercede laborem
pensat, et emeritis cumulat compendia curis.
Hinc Italos Phrygio signavit nomine portus,
Caietae memor, Aeneas ; hinc urbe Quirini
annua cinctutos nudabant festa Lupercos ;
hinc pater astrigero Dodonidas intulit axi
Bacchus, Agenoreo facturus cornua tauro ;
hinc jubar Olenium ratibus pelagoque pavendum
exoritur, siquidem Cretaea fertur in Ida
capra Jovem puerum fidis aluisse papillis.
Ast ego, cui sacrum pleno dedit ubere nectar
non olidi conjunx hirci, non rava sub antris
bellua, non petulans nymphe, non barbara mater,
sed dea Pieridum consors et conscia magnae
Pallados, humanas augusta poetica mentes
siderei rapiens secum in penetralia caeli ;
quas, rogo, quas referam grates, quae praemia tantae
altrici solvisse queam, nec fulminis auctor,
nec thyrsi scaeptrique potens ? Quonam improba ducis
mens avidum ? Quo me pietas temeraria cogis
attonitum ? Quinam hic animo trepidante tumultus ?
Fallor, an ipsa aptum dominae praecordia munus
parturiunt ultro, vocemque et verba canoro
concipiunt sensim numero, inlibataque fundunt
carmina nunquam ullis Parcarum obnoxia pensis ?
Sic eat. En agedum ; qua se furor incitat ardens,
qua mens, qua pietas, qua ducunt vota, sequamur.
Intulerat terris nuper mundoque recenti
cura dei sanctum hoc animal, quod in aethera ferret
sublimis oculos ; quod mentis acumine totum
naturae lustraret opus, causasque latentis
eliceret rerum, et summum deprenderet aevi
artificem nutu terras maria astra regentem ;

quod fretum ratione animi substerneret uni
cuncta sibi, ac vindex pecudum domitorque ferarum
posset ab ignavo senium defendere mundo,
neu lento squalere situ sua regna neque aegram
segnitie pateretur mers languescere vitam.
Sed longum tamen obscuris immersa tenebris
gens rudis atque inculta virum sine more, sine ulla
lege propagabant aevum passimque ferino
degebant hommes ritu ; visque insita cordi,
mole obsessa gravi, nondum ullos prompserat usus ;
nil animo, duris agitabant cuncta lacertis.
Nondum relligio miseris (si credere fas est),
non pietas, non officium ; nec foedera discors
norat amicitiae vulgus ; discernere nulli
promptum erat ambiguo susceptam semine prolem ;
non thorus insterni Genio ; non crimina plecti
judicio ; nulla in medium consulta referri ;
non quaeri commune bonum ; sua commoda quisque
metiri, sibi quique valere et vivere sueti.
Et nunc, ceu prorsus morientem, vespere sero
ignari flevere diem ; nunc, luce renata,
gaudebant ceu sole alio ; variosque recursus
astrorum, variam Phoeben sublustris in umbra
noctis, et alternas in se redeuntibus annis
attoniti stupuere vices ; insignia longum
spectabant caeli, pulchroque a lumine mundi
pendebant causarum inopes, rationis egentes.
Donec ab aetherio genitor pertaesus Olympo
socordes animos, longo marcentia somno
pectora, te nostrae, divina poetica, menti
aurigam dominamque dedit. Tu flectere habenis
colla reluctantum, tu lentis addere calcar,
tu formare rudes, tu prima extundere duro
abstrusam cordi scintillam, prima fovere
ausa Prometheae caelestia semina flammae.
Nam simul ac pulchro moderatrix unica rerum
suffulta eloquio dulcem sapientia cantum
protulit, et refugas tantum sonus attigit aures,
concurrere ferum vulgus ; numerosque modosque
vocis et arcanas mirati in carmine leges,
densi humeris, arrecti animis, immota tenebant
ora catervatim : donec didicere quid usus
discrepet a recto ; qui fons aut limes honesti ;
qui ve fide cultus, quid jus aequabile, quid mos,
quid poscat decor et ratio ; quae commoda vitae
concilient inter se homines, quae foedera rebus ;
quantum inconsultas ultra sollertia vires
emineat ; quae dein pietas praestanda parenti
aut patriae, quantum juncti sibi sanguinis ordo
vindicet, alternum quae copula servet amorem ;
quod gerat imperium, fractura Cupidinis arcus
atque iras domitura truces, vis provida veri,
vis animae, celsa quae sic speculatur ab arce,
ut vel in astrigeri semet praecordia mundi
insinuet, magnique irrumpat claustra Tonantis.
Agnorant se quisque feri, pudibundaque longum
ora oculos taciti inter se immotique tenebant.
Mox cunctos pariter morum vitaeque prioris

pertaesum ; ritusque ausi damnare ferarum,
protinus exseruere hominem. Tum barbara primum
lingua novos subiit cultus, arcanaque sensa
mandavere notis, multaque tuenda virum vi
moenia succinctus populis descripsit arator ;
tum licitum vetitumque inter discrimina ferre,
et pretium laudi et noxae meditantia poenam
vindicibus coeptum tabulis incidere tura ;
mox et dictus Hymen, et desultoria certis
legibus est astricta Venus ; sic pignora quisque
affectusque habuere suos ; bellique togaeque
innumeras commenti artes, etiam aethera curis
substravere avidis, etiam famulantibus altum
inseruere apicem stellis, animoque rotatos
percurrere globos mundi ; et sacra templa per orbem
plurima lustrato posuerunt denique caelo.
Sic species terris, vitae sua forma, suusque
dis honor, ipsa sibi tandem sic reddita mens est.
An vero ille ferox, ille implacatus et audax
viribus, ille gravi prosternens cuncta lacerto,
trux vitae, praeceps animae, submitteret aequo
colla jugo aut duris pareret sponte lupatis,
ni prius indocilem sensum facundia victrix
vimque reluctantem irarum flatusque rebelles
carmine mollisset blando, pronisque sequentem
auribus ad pulchri speciem duxisset honesti ?
Quippe etiam stantes dulci leo carmine captus
submittit cervice jubas, roseamque dracones
erecti tendunt cristam et sua sibila ponunt ;
ille quoque umbrarum custos, ille horror Averni,
Cerberus, audita Getici testudine vatis,
latratum posuit triplicem, tria sustulit hiscens
ora, novo stupidus cantu qui flexerat atram
Tisiphonen, saevo lacrimas conciverat Orco ;
ipsum fama Jovem, cum jam Cyclopea magna
tela manu quatit insurgens tonitruque coruscat
horrisono et caecis miscet cava nubila flammis,
ut tamen increpuit nervis et pectine pulcher
Delius alternumque piae cecinere sorores,
placari totumque sua diffundere mundum
laetitia et subito caelum instaurare sereno.
Nunc age, qui tanto sacer hic furor incitet oestro
corda virum, quam multiplices ferat enthea partus
mens alto cognata polo, qui praemia doctae
frontis Apollineas ausi sibi nectere lauros
inclyta perpetuis mandarunt nomina saeclis,
expediam. Faveat pulchro nunc Musa labori,
Musa, quies hominum divumque aeterna voluptas.
Juppiter (ut perhibent), liquidi per et ignea mundi
templa per et stellis radiantibus aethera fixum
aurarumque animas sola terrae et caerula ponti
dissitus, errantes citharae vice temperat orbes,
ac rapidum imparibus cursum rotat intervallis,
quem rata pars tamen et certum confine diremit.
Hinc nostro major captu sonus exit, acutas
compensans gravibus septem in discrimina voces ;
stellantesque globos sua quaeque innoxia Siren
possidet, ambrosio mulcens pia nomina cantu.

Nec tamen in nullis hominum simulachra refulgent
mentibus, arcanam caeli testantia Musam
permixtumque Jovem. Nam ceu tralucet imago
sideris in speculum, ceu puro condita vitro
solis inardescit radio vis limpida fontis ;
sic nitidos vatum defaecatosque sonori
informant flammantque animos modulamina caeli.
Is rapit euhantem fervor, fluctuque furoris
mens prior it pessum : tum clausus inaestuat alto
corde deus, toto lymphatos pectore sensus
exstimulans ; sociumque hominem indignatus, ad imas
cunctantem absterret latebras ; vacua ipse potitus
sede, per obsessos semet tandem egerit artus,
inque suos humana ciet praecordia cantus.
Non illos cycnaea mele, non daedala chordis
apta fides, non quae duplici geniale resultant
naula citata manu, non vincat dulcior ille
flatus inaequales digitis pulsantibus implens
compresso de folle tubas, pius aemula contra
jubila cui referunt chorus alternisque lacessunt.
Agnoscas propere numen. Suspirat anhelo
grandior ore sonus, quantusque impleverit antrum
Phoebados aut rupem Euboicam. Nec Martius illum
terrificum clangens rauci canor aeris obumbret,
nec tonitrus Jovis, aut petulantibus incita flabris
Ossaeo pineta jugo, Nili ve ruentis
exsurdans vicina fragor. Mirantur et ipsi
saepe (quis hoc credat ? ) Quae nuper cumque, recepto
numine, legitimi cecinere oracula vates ;
caligatque animus visis, nec vindice lingua
defendunt sua dicta sibi, postquam ille quievit
spiritus et pressi tacuit sacer impetus oris.
Ipsaque Niliacis longum mandata papyris
carmina Phoebeos videas afflare furores,
et caeli spirare fidem : quin sancta legentem
concutiunt parili turbam contagia motu,
deque aliis alios idem proseminat ardor
pectoris instinctu vates ; ceu ferreus olim
anulus, arcana quem vi Magnesia cautes
sustulerit, longam nexu pendente catenam
implicat et caecis inter se conserit hamis.
Inde sacros Musarum amnes, Heliconia tempe,
multisoni celebrant numeroso gutture cycni.
Prima tamen dubias fuderunt carmina sortes.
Quippe etiam ante Jovem, sagis instincta resolvit
ora sonis Nereus, Nereus quem prisca marinum
dictat fama senem ; tuque, o consulte Prometheu,
qui tenuem liquidis ignem furatus ab astris,
mirantem frustra satyrum captumque decoro
lumine, ne flammae daret oscula blanda, monebas.
Mox quoque Phocaico verum mugivit ab antro
alma Themis, qua rupe pares utrinque volatus
armigerae posuere Jovis ; tum Juppiter ipse
fatidico movit cantu Dodonida quercum,
praesciaque in Libycis concussit cornua lucis ;
moxque Lycaonias Pan carmine terruit umbras ;
carmen Apollinei tripodes laurusque locutae,
quaeque coronatum sonuere Philesia Branchum,

pastorem Branchum, tribuit cui, gratus amorum,
sortilegas voces admissus ad oscula Paean ;
et sua per carmen ducibus responsa Latinis
noctivagus cecinit, calcato vellere, Faunus.
Vos quoque per carmen, triplices, oracula, Parcae,
vestra datis ; quin et veteres prompsere Sibyllae
carmen, Amalthea, et fati Marpesia dives,
Herophileque Idaea genus, praedoctaque Sabbe,
Demoque, Phygoque, et veri gnara Phaennis,
et Carmenta parens, et Manto, et Pythia longos
Phemonoe commenta pedes, et filia Glauci
Deiphobe nimium vivax ; et Marcia fratrum
nomina, lymphatusque Bacis, subterque triones
natus Hyperboreos Ollen, inque Atthide terra
clarus honore Lichas, Dodoniadesque columbae.
Nam quid ego innumeras variantem Protea formas,
sed dubio risus vultu lacrimasque perosum ?
Quid ve loquar te, Glauce senex ? Plenumque parente
Idmona, fulminei prostratum dentibus apri ?
Ampycidenque pium, Libycis quem fudit harenis
vipera fatifero fauces accensa veneno ?
Quid te, cui volucrum linguae patuere, Melampu ?
Quid cui post visos nudatae Pallados artus
cernere nil licitum ? Quid quem impia prodidit uxor,
hosticaque hausit humus ? Quique alto in melle necatum
restituit luci, quo nuper vixerat anguis
gramine, Minoum Dictaeo carcere Glaucum ?
Aut qui mille rates peritura ad Pergama duxit,
Thestoriden ? Aut qui magica fera murmura lingua
ingeminans, liquido deduxit ab aethere fulmen
in caput ipse suum, propugnarique bidental
jussit Achaemenium servantia busta tiaram ?
An memorem Solymos, praelustria nomina, vates ?
Psallentemque deo regem, qui turbine fundae
icta Philistaeo secuit puer ora giganti ?
Teque Palaestini laqueantem culmina templi,
mentis opumque potens, Salomon, nec odora tacentem
oscula sollicito languentis amore puellae ?
Pars hymnos fudere Deo : sic maximus ille
nondum clara sacris radiatus tempora Moses
ignibus, ut rubras sicco pede transiit undas,
demerso insignem cecinit Pharaone triumphum ;
tuque puer, modo dicte mihi, Jessaee, vicissim
dulcia terribili mutans psalteria bello,
voce Deum placas ; ut quos Babylone rebelli
lambit in horrisonis non noxia flamma caminis,
quosque alios, veteris gens servantissima ritus,
retrorsum Judaea legit. Sed enim aethera magnum,
custodesque alii genios (ita jusserat error
publicus), innumerosque lares, functosque sepulchris
mille deos, variisque animatum partibus orbem
heu frustra coluere pii ; veniamque rogantes,
qualiacunque suo placabant numina cantu.
Mox chaos et teneri prima incunabula mundi,
et divum genus atque hominum, et Titania saecla
non humili dixere tuba, quoque edita partu
gramina, frondiferumque nemus, gentesque ferarum ;
quid ve parens Natura agitet, quos ve aurea ducant

astra choros ; ut se fraternis Delia flammis
induat, et radiis eadem mox depleat haustis ;
quae caelo portenta volent, quem ve ille tumultum
misceat, aut quantis varietur ab ignibus aer ;
quo saliat quassante solum, qui torqueat error
oceani refluas undas molemque natantem.
Inde sacrosanctas modulati carmine leges,
multisonum fecere nomon ; nec vulnera tantum
saeva, sed et caecos vincebant carmine morbos.
Sacrifici quondam nec dis ignara poetae
nomina : quin magicas arcano murmure linguas
in varios duxere modos. Nec fabula mendax
Parrhasio lapides movisse Amphiona plectro,
Orpheos atque lyram curva de valle secutas
in caput isse retro liquido pede fluminis undas,
cumque suis spelaea feris, cum rupibus ipsis
dulcia Pierias properasse ad carmina fagos,
quaeque avis applauso libraret in aere pinnas,
pene intercepto vix se tenuisse volatu.
Illius argutis etiam patuere querellis
Tartara, terrificis illum villosa colubris
tergemini stupuere canis latrantia monstra ;
tum primum et lacrimas, invita per ora cadentes
Eumenidum, Stygii conjunx mirata tyranni,
indulsit vati Eurydicen ; sed muneris usum
perdidit : heu durae nimia inclementia legis !
At juvenem postquam Thressarum injuria matrum,
frustra suave melos, frustra pia verba moventem,
dispersit totis lacerum furialiter agris,
cum lyra divulsum caput a cervice cruenta
heu medium veheret resonans lugubre per Hebrum,
relliquias animae jam deficientis amatam
movit in Eurydicen tamen, illam frigidus unam
spiritus, illam unam moriens quoque lingua vocabat :
Lesboum stupuit vulgus, cum flere natantes
sponte fides atque os domini vectare cruentum
vidit et heu lassis velut aspirare querelis.
Improbus hanc stulte chelyn affectare Neanthus
ausus, Apollinea pendentem sustulit aede ;
quem tamen, indocto ferientem pollice chordas,
vindice discerpsit rictu nocturna canum vis.
Illa recepta polo, ceu quondam saxa nemusque,
sic nunc stelliferis agit aurea cornibus astra.
Quin et, Pellaei quondam praesaga triumphi,
delicuit sudore sacro Libethris imago.
Tantus honor Getico fuit, et post funera, vati !
At tu, qui merito dulcem cratera magistro
obtuleras, volucri penetrans in saecula fama,
cantando trahis Elysios, Musee, minores.
Contra autem indocilem nimis exsecratur alumnum,
immemoremque Linus vocat ingratumque laborum
Amphitryoniaden ; qui quondam triste perosus
doctoris magni imperium, veneranda rebelli
contudit ora lyra, et clamantem plurima frustra
tendentemque manus obtestantemque peremit,
heu non ista piae meritum sibi praemia linguae !
Jam Methymnaeum vatem delphine revectum,
jam Thamyran cantu doctas anteire sorores

fretum, mox citharae damnatum et luminis orbum,
quis nescit ? Princeps idem (ni vana vetustas)
ad faciles Venerem inlicitam convertit ephebos,
insignemque sacro tulerat certamine palmam
tertius : hoc etenim Cirrhaeus honore Philammon
claruit ante pater, sed Cres praevenerat ambos
Chrysothemis. Nam Demodoci vivacior aevo
fama Meleteis gaudet juvenescere chartis ;
et tua, Neritias invito pectine mensas
qui celebras. Etenim ut stellas fugere undique caelo,
aurea cum radios Hyperionis exseruit fax,
cernimus, et tenuem velut evanescere lunam ;
sic veterum illustres flagranti obscurat honores
lampade Maeonides : unum quem, dia canentem
facta virum et saevas aequantem pectine pugnas,
obstupuit prorsusque parem confessus Apollo est.
Proximus huic autem, vel (ni veneranda senectus
obstiterit) fortasse prior, canit "Arma virumque"
Vergilius, cui rure sacro, cui gramine pastor
Ascraeus Siculusque simul cessere volentes ;
quem non tabifico mordax attingere Livor
dente queat, Livor tandem et sandalion ausus
carpere, cum dominam asseruit sua forma Dionen.
Excipiunt gemini procul hos longeque secuntur
qui septem Cadmaea vocent ad moenia reges :
hunc Phoebaea Claros, Cumaea Neapolis illum
protulit ; hic elegis etiam tua funera, Lyde,
flet pius, herois ille audax versibus effert
magnanimum quoque Peliden ; hic denique magni
instar habet populi pendentem ad verba Platonem,
ille etiam silvis partum sibi praedicat aurum.
Ecce alii primo tentatum remige pontum,
Palladiamque ratem, tabulasque dedere loquaces :
quorum Threicio personam primus ab Orpheo
accepit, genitus Miscelli gente salubri ;
alter Alexandri Nilotidas abnegat arces
exosus natale solum, tumidamque colosso
solis et irriguam pluvio Rhodon expetit auro.
Hujus in Ausonio vestigia pulvere Varro
pone legit, linguae haut opulens, ut barbara Narbo,
ut quem parvus Atax Latiae transcripserat urbi :
atque idem imparibus proprios exponit amores
Leucadiamque suam numeris, succedere magno
Auruncae quondam frustra conatus alumno.
Nam te, Flacce, sinu sulcantem caerula pleno,
heu juvenem cursu excussit mors saeva, priusquam
Aesonides Pagasas patriamque revectus Iolcon.
At tibi, Daedaleos monitus, Heliconie vates,
qui sequeris, neque ventosis in nubibus alas
expandis neque serpis humi, sed praepete lapsu
ceu medium confine teris, quo carmine dignas
addiderim, tandem, quo ve ore aut pectore laudes ?
Scilicet huic, patriis pecudes in vallibus olim
servanti, cunctae se se indulsere videndas
Aonides, laurumque viro vocemque dedere,
qua superum caneret stirpem, praeceptaque morum,
descriptosque dies operum, clypeumque tremendi
Herculis, et veteres divum genus heroinas.

Ergo et Chalcidico vatum certamine quondam
rettulit auritum tripoda, et (si vera minores
audimus) cantu magnum quoque vicit Homerum.
Moxque dolo extinctum mersumque ad litora, tristis
Delphinum vexere chorus ; nec defuit index
turba canum, medioque darent qui corpora sontum
mersa mari et meritam placarent mortibus umbram :
ossaque fatali tellus Minyaea sepulchro
nunc habet, annosae conspectu inventa volucris.
Nec quae magnanimum nodosae robore clavae
instruit Alciden, nullum nomenque decusque
conciliat sterili Pisandria musa Camiro.
Nec qui bissenos iterum memorare labores
audet, et a primo vatum figmenta priorum
usque chao repetit, non saltem laudibus aequet
Ascraeum Clariumque senes. Neque Chalcis alumnum
Euphoriona tacet, vario qui personat ore
Mopsopiam ; neque Tyrtaei Lacedaemona cantu
victricem se ferre pudet, licet impare gressu
tenderet. Adde novis mutantem corpora formis
Parthenium ; pictique notantem lumina mundi
(namque hoc praecipue se carmine jactat) Aratum,
cui cor ab intonsi fax ore accensa Philini
urebat miserum, quem terra Cilissa recepit
et portentoso celebrem dedit esse sepulchro.
Nec te, quem Colophon tulerit, Nicandre, tacebo,
Paeoniis celebrem studiis : qui nigra venena
prodis et emissas serpentum fauce salivas,
tum medicam subjungis opem, praedicere finem
morborum et tacitas gnarus deprendere causas ;
atque idem pia rura sonas, dulcissima miscens
austero figmenta operi. Sed lustra ferarum
scrutatur, captat volucres prolemque natantum,
mox dat habere Pio gratissimus Antonino
Oppianus, docti praedives honore laboris.
Pingit et exiguis totum Dionysius orbem
terrarum in tabulis ; sed non et proelia Bacchi
nonnus in exigua potuit contexere tela.
Battiades Hecalen sonat et Marathonia gesta,
celsior assueto, causasque aetate latentes
prodit, et undeno molles pede cantat amores ;
et nunc ingratum tenebrosus devovet Ibin,
nunc superos celebrat, nunc tristibus ardet iambis,
nunc humili premitur socco, nunc ille cothurno
altior assurgit : centumque poemata pangens,
dissipat in varios Heliconia flumina rivos.
Sed Tiberim, dominum rerum mundique potentem,
ambigitur riguine tener Sulmonis alumnus
nobilitet magis, an vero tibi, Roma, pudori
sit potius, Getica sic semisepultus harena
(proh dolor ! ), exsul, inops, nimium quia forsan amico
lumine Caesareae spectaverit ora puellae.
Ille novas primo facies transformat ab aevo ;
ille cupidineas versu canit impare flammas,
involvitque novum dubiis ambagibus Ibin,
vel dat amatricum dictatas ore tabellas,
vel miser exilium cycnaeo gutture deflet ;
temporaque et causas Romani digerit anni,

vel memorat pisces et adhuc ignara Latinis
nomina, vel caelo labentia computat astra,
et replet astrictas diverso epigrammate chartas ;
consutum quoque syrma trahit ; suspendit et unca
nare malos (quorum nunc omnia plena) poetas,
indulgens tamen usque sibi : nam praeditus acri
nimirum ingenio, faciem putat esse decoram
carminis, inspersus maculet quam denique naevus.
Jam senior triplici vates qui corde superbit,
Maeonides Italis (ni fallunt visa) secundus,
bella horrenda tonat Romanorumque triumphos,
inque vicem nexos per carmina digerit annos :
arte rudis, sed mente potens, parcissimus oris,
pauper opum, fidens animi, morumque probatus,
contentusque suo, nec bello ignarus et armis.
Quem, Rudiis ortum, rigidi quaestura Catonis
ad septemgeminas juvenem deduxerat arces ;
mox comes armorum Fulvi, qui sanguine partas
scilicet haut dubitat Latiis sacrare Camenis
exuvias, dedit Aetolis hostilia campis
corpora multa neci ; longe gratissimus idem,
Scipio magne, tibi, et Calabris vicinus in hortis
virtute emeritis, cujus gentile sepulchrum
mox tenuit, nullo patiens sua funera fletu
produci laetusque virum volitare per ora.
Praeterea tragico boat ampullosus hiatu ;
comica lascivo proscenia laxat iambo ;
exponit satyros, Latioque Euhemeron infert.
Et modo reprensi deflorans carmina Naevi,
carmina quae quondam Fauni vatesque canebant,
mox gemet ipse suo natas in litore conchas
praecultum purgare fimo et sibi ferre Maronem.
Sed quanquam in primis docto Verona Catullo
gaudet, vulnificos elegis qui miscet iambos,
et sub adoptivum redigit te, Clodia, nomen,
parturit et fortem forti quoque carmine Achillem,
atque urbis proceres multo sale defricat audax,
Caesareaeque notas et inurit stigmata fronti ;
non nihil Aemilium tamen haec quoque jactat alumnum
texentem tenui Macrum subtemina filo,
dum volucres numeris, dum gramina pingit et angues.
Nec qui philtra bibit nimioque insanus amore
mox ferro incubuit, sic mentem amiserat omnem,
ut non sublimi caneret Lucretius ore
arcanas mundi causas elementaque rerum ;
doctus, et Arpino tamen exploratus ab ungui.
Scilicet et veteres naturam pandere Grai
carmine tentarunt celebri : ceu maximus ille,
aerisonas pedibus qui quondam inductus amyclas,
insiluit Siculi rapidum cratera camini ;
et cui de vocum tenebris cognomina flenti
addita ; quosque alios studio sapientia dulci
implicuit, cecinitque diu memoranda vetustas.
Emicat Hesperio, trifidum ceu fulmen, ab orbe
qui, vix puber adhuc rudibusque tenerrimus annis,
Haemonios iterat currus auroque repensum
Hectora, Tartareasque domos, dirumque Neronem,
Orpheaque, et meritae peragit praeconia Pollae,

lascivitque jocis ; ac torrens voce soluta
Dulichias aequare nives et fulmina tendit
quanta Periclaeo lepor intorquebat ab ore.
Mox tonat ardenti Pharsalica proelia cantu
Aegyptique nefas, primo vix flore genarum
conspicuus ; torvo quem protinus ore secundum
respexit, captae vix ausus fidere palmae,
Vergilius. Sed iniqua bonis Rhamnusia tantis
heu decus hoc orbi invidit, ne vindice ferro
assereret miseras incesto a principe terras.
Tu felix tamen, o juvenis (nam conscia poenam
corda levant), felix, inquam, licet ille cruentum
rugiat et truncas desiccet sanguine venas,
fronte minax, diraeque instinctus verbere matris.
Macte animo ! Non te, o vates, Parnasside lauru
nequiquam deus et cithara dignatus honora est.
Post hunc Sidoniae damnat perjuria gentis
emeritosque foro Musis tandem asserit annos
Silius, Ausonio qui quondam fulgidus ostro
expulit horribilem vitaque aulaque tyrannum ;
ipse obiit plenusque aevi natoque superstes,
aspera congenito fixus vestigia clavo.
An taceam Bassum gravido tua dona ferentem,
Vespasiane, sinu ? Et fantem Sicula arma Severum ?
Aut te Sidonias repetentem, Pontice, Thebas ?
Aut Pelusiaci missum de plebe Canobi
pulchra suum quem nunc Florentia jactat alumnum,
gaudentem Stygio dominam junxisse marito
magnanimique vagos ducis ostentare labores ?
Aut te, Niliaca relegentem sidera cura,
bis vates, Manli, et Babylonia signa sequentem ?
Quosque sibi aequaevos puro vocalior ore,
nequa laboranti incumbant oblivia famae,
Naso refert, queruli tangens confinia Ponti ?
Et qui Smyrnaeis poterat contendere plectris
Valgius, ut tersi memorat pia musa Tibulli ?
Musa sibi primos quae jure adsciscat honores
imparibus numeris, ni blanda Propertius ora
solvat, et ambiguam faciat certamine palmam ;
Plania materiam teneri dat et hostia cantus,
nomine supposito, ceu Galli mima Citheris
personam falsae lasciva Lycoridos affert
in scenam, et docto clausam se jactat amanti,
dum miser ipse suo fodiat praecordia ferro.
At non exigui tenuis quoque pagina calvi
dissimulat pulchram, sed acerbo funere raptam,
Quintiliam. Nec Cous ad haec non sacra Philetes,
quanquam est aeger, adest, quanquam vestigia lento
fulta gravat plumbo ; nec qui sine amore jocisque
jucundum nihil esse putat. Quid rustica dicam
jubila pastorum silvis meditata sub altis ?
Ut patrias Moschus non inficietur avenas,
externasque Bion ? Ut opaca Tityron umbra
provocet Ausonio Calpurni fistula cantu ?
Aerios procul in tractus et nubila supra
Pindarus it, Dircaeus olor, cui nectare blandae
os tenerum libastis, apes, dum fessa levaret
membra quiete puer mollem spirantia somnum.

Sed Tanagraea suo mox jure poetria risit,
irrita qui toto sereret figmenta canistro ;
tum certare auso palmam intercepit opimam,
Aeoliis praelata modis atque illice forma.
Ille, Agathoclea subnisus voce, coronas
dixit Olympiacas, et qua victoribus Isthmos
fronde comam Delphique tegant Nemeaeaque tesqua
lunigenam mentita feram ; tum numina divum,
virtutesque virosque undanti pectore torrens
provexit, sparsitque pios ad funera questus.
Frugibus hunc libisque virum Cirrhaeus ab ara
Phoebus et accubitu mensae dignatus honoro est ;
Panaque pastores solis videre sub antris
Pindarico tacitas mulcentem carmine silvas.
Inde senem, pueri gremio cervice reposta
infusum, et dulci laxantem corda sopore,
protinus ad manis et odoro germine pictum
Elysium tacita rapuit Proserpina dextra.
Quin etiam hostiles, longo post tempore, flammae,
quae septemgeminas populabant undique Thebas,
expavere domum tanti tamen urere vatis,
et sua posteritas medios quoque tuta per enses
sensit inexhausta cinerem juvenescere fama.
Non ego te, longo praesignis Anacreon aevo,
transierim, bicolore caput redimite racemo,
cui citharae cordi, cui nigri pocula Bacchi
semper, et ancipiti stimulans Amathusia cura :
nam modo Threicii crinem miraris ephebi,
nunc Samium celebras (jubet Adrastea) Bathyllum,
nunc teneram Eurypylen tenerumque Megisthea laudas ;
tandem acino passae cadis interceptus ab uvae.
Ipse Lyci nigros oculos nigrumque capillum,
quamque vides digito nativam inolescere gemmam,
exactosque canis, pugnax Alcaee, tyrannos,
Aeolium docto pertentans barbyton auro ;
arma sed Actaeae tua fles suspensa Minervae.
Sustinet heroi valida testudine pondus
carminis, et damnans Helenen laudansque vicissim
amittit recipitque oculos tuus, Himera, civis
Stesichorus, quem trux Phalaris veneratus et hostem est ;
cujus et in labris sedit puerilibus olim
Daulias, et vestrum, Musae, cantavit alumnum.
Sed vocat ad lacrimas Cei pia naenia vatis :
unum Mnemosyne quondam praeque omnibus unum
quem coluit, saevae quem subtraxere ruinae
Ledaei juvenes ; vacuam cui tristis ad arcam
Gratia flet, laniata comas nudata lacertos ;
quique sui vindex fuit et post fata sepulchri.
Ipsi etiam patria pressi brevitate Lacones
ascitum largo tamen ore Alcmana recensent ;
quem tulit auriferos ostentans Lydia fontes,
nunc gemit heu tineis artus et tabe peresum.
At te cui numeros dictat dea Suada canoros,
Ibyce, quique marem tantum meditaris amorem,
nec superi nec avis Pygmaea reliquit inultum ;
et nunc Rheginis tua sedibus ossa quiescunt.
Nec vulgare canit, dulcis ab Iulide Siren,
Bacchylides. Sed enim lyricis jam nona poetis

Aeolis accedit Sappho, quae flumina propter
Pierias legit ungue rosas unde implicet audax
serta Cupido sibi ; niveam quae pectine blando
Gyrinnem Megaramque simul cumque Atthide pulchram
cantat Anactorien et crinigeram Telesippen ;
et te conspicuum recidivo flore juventae
miratur revocatque, Phaon, seu munera vectae
puppe tua Veneris, seu sic facit herba potentem.
Sed tandem Ambracias temeraria saltat in undas ;
quae totiens Gorgo, totiens incesserat atrox
famosam Andromeden patriaque libidine turpem.
Non illi Praxilla suos praedoctaque Nossis
contulerint Myrtisque modos, non dulcis Agacles,
non Anyte, non quae versus Erinna trecentos
Castalio ceu melle rigat, non candida Myro,
nec Telesilla ferox, non quae canit aegida saevae
Pallados effusum crinem vittata Corinna.
Illam etiam decimo cunctae accepere sedili
Pierides, sertumque novem de floribus auro
contextum nitidis laetae imposuere capillis.
Hinc Venusina favos dulci jucunda susurro
carpsit apis ; sed acu ferit irritata cruento
haec eadem, rigidis Auruncae in vepribus errans,
quas Persi manus et bilem succensus Aquinas
mox legere sibi. Neque enim his metuendus iambo
certet echidnaeo, licet acrem effusus in iram
ore Lycambiadas rabioso occident ambas
Archilochus, medio licet illum in Marte peremptum
vindicet et nigro sit Pythia dura Calondae ;
nec ferus Hipponax, atro qui felle cruentus
Bupalon et stratum morsu laniavit Athenin ;
nec Batius, spinisque Bibaculus asper acutis.
Multi, Bacche, tuo proculcavere cothurno
fortunas regum ambiguas, et scaeptra tyrannis
extorsere feris, totumque tremore metuque
horribiles totum luctu opplevere theatrum.
Pluraque, Palladiae, quondam impendistis, Athenae,
dum scena Oedipoden pavidumque agitatis Oresten,
Atreaque et medica percussum Telephon hasta,
Oenidaeque facem, Furiisque Alcmaeona pulsum,
quosque alios olidum cantor produxit ob hircum ;
quam cum barbarico Marathonia sanguine tellus
incaluit, multoque obstructae funere Xerxen
Thermopylae tarda refugum videre carina.
Auctorem perhibent Thespin, quem justa Solonis
cura cothurnatis jussit descendere plaustris.
Tres porro insignem sibi defendere coronam :
Aeschylus aeriae casu testudinis ictus,
quemque senem meritae rapuerunt gaudia palmae,
quemque tegit rabidis lacerum pia Pella molossis.
Invasere locum Plias septena secundum.
Quippe alios, quos nec centum sit dicere linguis,
fortunae nunc quemque suae famaeque relinquam,
ni Latium Varius tamen objectare Thyesten
ambiat, atque suum jactet mihi Corduba vatem,
cujus ad Herculeum tremefacta orchestra furorem est.
Ecce et grandiloquo semet quoque suggerit ore
Accius, et magna conturbat voce canentem

Pacuvius ; nitidumque ostentat musa Secundum.
Adde et mordaci quatientes pulpita risu :
Eupolin, in medium quem mendax fabula pontum
Cliniadae manibus puppi deturbat ab alta ;
quique leves Nebulas Actaeae effuderat urbi,
salsus Aristophanes ; compotoremque Cratinum.
Adde novos etiam soccos, exemplaque morum,
et variae specimen vitae : jam grata Menandro
posteritas, ipsoque volente Philemone, palmam
restituit ; longe sequitur quem plurima turba
haut nostro referenda sono, sed pagina docti
reddit Athenaei tamen insinuatque futuris.
Claudicat hic Latium, vixque ipsam attingimus umbram
Cecropiae laudis ; gravitas Romana repugnat
scilicet. Et quamvis veterum sit multus in ore
Caecilius, quamvis jucundi scripta Terenti
Scipio dissimulet, quamvis Plautina Camenis
lingua Opicis placeat, scenam tamen ipsa suorum
Aeneadum fugit alma Venus, tantumque togatis
interdum Afrani grato se indulget honore.
Hos tamen atque alios Volcatius ordine sistit
Sedigitus. Mimos sed enim scripsere protervos
implicitusque Sophron, risuque Philistio tandem
perditus ; hinc Laberi lascivia multaque Publi
claruit Ausonio sententia dicta theatro.
Pars quoque sotadicos ceu prostituere cinaedos,
pars tenues sparsere sales epigrammate multo
sed Latio celebres : quem misit Iberia Marcum ;
Romuleumque suis exornans fascibus annum
Ausonius ; mitto Hortensi doctique Catonis,
qui solus legit quondam fecitque poetas,
mitto et Cornifici lusus, Ticidaeque Perillam,
et Cinnam obscurum, teque, ore protervior, Anser.
Pammetron hic cecinit ; Sillos dedit ille licentes ;
ille Menippeae joca miscellanea perae
infersit ; Satyros alius nudavit agrestes ;
et patuere novae per mille poemata curae.
Quas ego, si Pyliae duplicentur tempora vitae
jam mini, si cunctas nostra in praecordia voces
fama ferat, rigidoque sonent haec pectora ferro,
non amplecti ausim numero, non ore profari
evaleam tantaeve situm indagare senectae.
Nec tamen aligerum fraudarim hoc munere Dantem,
per Styga, per stellas mediique per ardua montis,
pulchra Beatricis sub virginis ora, volantem ;
quique cupidineum repetit Petrarcha triumphum ;
et qui bisquinis centum argumenta diebus
pingit ; et obscuri qui semina monstrat amoris :
unde tibi immensae veniunt praeconia laudis,
ingeniis opibusque potens, Florentia mater.
Tu vero aeternam per avi vestigia Cosmi
perque patris (quis enim pietate insignior illo ? )
Ad famam eluctans, cujus securus ad umbram
fulmina bellorum ridens procul aspicit Arnus,
Maeoniae caput, o Laurens, quem plena senatu
curia quemque gravi populus stupet ore loquentem,
si fas est, tua nunc humili patere otia cantu
secessusque sacros avidas me ferre sub auras.

Namque, importunas mulcentem pectine curas,
umbrosae recolo te quondam vallis in antrum
monticolam traxisse deam : vidi ipse corollas
nexantem, numerosque tuos prona aure bibentem ;
viderunt socii pariter, seu grata Dianae
nympha fuit, quanquam nullae sonuere pharetrae,
seu soror Aonidum et nostrae tunc hospita silvae.
Illa tibi, lauruque tua semperque recenti
flore comam cingens, pulchrum inspiravit amorem.
Mox et Apollineis audentem opponere nervis
Pana leves calamos, nemoris sub rupe Pheraei,
carmine dum celebras, eadem tibi virgo vocanti
astitit et sanctos nec opina afflavit honores.
Ergo et nocticanum per te Galatea Corinthum
jam non dura videt. Nam quis flagrantia nescit
vota, cupidineoque ardentes igne querelas ?
Seu tibi Phoebeis audax concurrere flammis
claro stella die, seu lutea flore sequaci
infelix Clytie, seu mentem semper oberrans
forma subit dominae ; seu pulchrae gaudia mortis,
atque pium tacto jurantem pectore Amorem,
atque oculos canis, atque manus, niveisque capillos
infusos humeris, et verba, et lene sonantis
murmur aquae, violaeque comas, blandumque soporem,
laetaque quam dulcis suspiria fundat amaror,
quantum addat formae pietas, quam saepe decenter
palleat, utque tuum foveat cor pectore nymphe.
Non vacat argutosque sales satyraque bibaces
descriptos memorare senes ; non carmina festis
excipienda choris, querulas ve animantia chordas.
Idem etiam tacitae referens pastoria vitae
otia et urbanos, thyrso exstimulante, labores,
mox fugis in caelum, non ceu per lubrica nisus,
extremamque boni gaudes contingere metam.
Quodque alii studiumque vocant durumque laborem,
hic tibi ludus erit : fessus civilibus actis,
huc is, emeritas acuens ad carmina vires.
Felix ingenio, felix, cui pectore tantas
instaurare vices, cui fas tam magna capaci
alternare animo, et varias ita nectere curas !
Quod ni blanda meum lactant praesagia sensum,
ni pietas, ni longus amor, ni vana magistros
aura suo nimios jubet indulgere favores
quemque operi, ni me tacita experientia fallit,
ibit in exemplum natur, mea maxima cura,
ibit in acta patris, lese tanta indole dignum
praestabit. Lustris nondum tribus ecce peractis,
jam tamen in Latium Graiae monimenta senectae
evocat, et dulci detornat carmina plectro,
meque per Aoniae sequitur compendia silvae
ereptans avide montem, jamque instat anhelo,
it jam pene prior. Sic, o, sic pergat, et ipsum
me superet majore gradu, longeque relinquat
protinus, et dulci potius plaudatur alumno,
bisque mei victore illo celebrentur honores !

# RUSTICUS

P_4

Ruris opes saturi, gnavoque agitanda colono
munera, et omniferae sacrum telluris honorem
ludere septena gestit mea fistula canna.
Fistula Mantoae quam nuper margine ripae
ipse renidenti dum dat mihi Tityrus ore :
"Hac, puer, Ascraeum repete, inquit, arundine carmen".
Pan, ades ; et curvi mecum sub fornice saxi
versibus indulge, medio dum Phoebus in axe est,
dum gemit erepta viduatus compare turtur,
dum sua torquati recinunt dictata palumbes.
Hic resonat blando tibi pinus amata susurro ;
hic vaga coniferis insibilat aura cupressis ;
hic scatebris salit et bullantibus incita venis
pura coloratos interstrepit unda lapillos ;
hic tua vicinis ludit lasciva sub umbris,
jamdudum nostri captatrix carminis, Echo.
Felix ille animi divisque simillimus ipsis,
quem non mendaci resplendens gloria fuco
sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus,
sed tacitos sinit ire dies, et paupere cultu
exigit innocuae tranquilla silentia vitae,
urbe procul, voti exiguus ; sortemque benignus
ipse suam fovet, ac modico contentus acervo
non spes corde avidas, non curam pascit inanem ;
securus quo sceptra cadant, cui dira minentur
astra et sanguinei jubar exitiale cometae.
Non illum fragilis favor indocilisque potenti
plebs servare fidem, evectum popularibus auris,
casuro imponit solio, nec ducit hiantem
huc illuc vanos ostentans purpura fasces ;
non mentem pavet ipse suam, nec conscius omnis
exhorret strepitus, nec edaci pectora culpa
carpitur occulte ; non opportunus iniqui
judicio vulgi aut celsa conspectus in arce
degeneri patet invidiae ; non ipse vicissim
obliquo livore macet foetusque veneno
aestuat atque aliena oculis bona limat acutis.
Rure agit in vacuo spatiisque indulget aperti
aetheris, aut operi insudans aut ille supinos
evadens cursu in montis ; hinc scilicet omnes
gratae epulae : nudis Acheloum in pocula palmis
advocat, excussaeque cibos dant brachia silvae,
et fessa in duro renovantur membra cubili.
Major quippe venit comitata labore voluptas,
nec satias dominam aut fastidia lenta secuntur.
Ergo neque imbrifero pallens Autumnus hiatu,
nec malus hunc afflat rabioso Sirius astro,
saeva ve Rhiphaeae labefactant frigora brumae :
quippe hyemem excipere et ventos caelique ruinam
suetum atque octipedem nec opaco vertice Cancrum,
et Jove sub gelido nocturnos carpere somnos,
et pede concretas nudo calcare pruinas,
et perferre sitim, et jejunia solvere glande,
et lassare feras cursu, et superare natatu

torrentem, et volucri fossam tramittere saltu,
et quercum annosam ferro obturbare bipenni ;
tum praedam extorquere lupo, fascique maligno
subjecisse humeros, et iniqui pondera rastri
praedura tractare manu, et domitore lacerto
sub juga cornigeri colla obluctantia tauri
ducere, et iratis concurrere cominus ursis.
Hinc agilis subit ora vigor, robustaque magno
pectore vis habitat, fortesque animosa tuentur
membra tori, et crudo tendunt se robore nervi ;
hinc facies procera, hinc fronti Martius horror.
Quod si bella vocent, quis ad aspera promptior arma ?
Aut quis equum sternacem artis fregisse lupatis
acrior ? Aut fortem mucrone haurire cruorem ?
Aut torquere sudem ? Aut nervo exturbare sagittam ?
Aut praepilatis aciem perrumpere contis ?
Quis certet duro agricolae ? Seu ducere vallum,
seu sit opus celso praecingier aggere castra ;
seu fronte adversa tormentum figere ahenum,
quod tonitru horrifico magnas sternentia turres
ardua fulmineo jaculetur saxa rotatu ;
seu vigil insomnem peragat custodia noctem,
seu tacitum rapiatur iter ; seu parcere parto
conveniat, si fors lenta obsidione premantur.
Scilicet his Babylon dextris Nabathaeaque regna
creverunt ; hic Mopsopio delectus ab arvo
miles Achaemenium Marathonis in aequore Persen
contudit ; his adjuta viris, se Romula tellus
imposuit mundo et rerum tractavit habenas.
Nunc age, quae studia agricolis industria sollers
extudit, atque operum quanta experientia, dicam.
Protinus extremo cum jam Boreas autumno
incubuit terris, primo cum frigore tactae
labuntur frondes maternaque brachia linquunt,
nec cariem caesae formidant robora silvae,
ecce, sagax tacitam venientis rusticus anni
curam corde coquit, qua bubus ab arbore plaustrum
dedolet, unde juga et curvum fabricetur aratrum.
Nec mora, quin veteris truncata cacumina phagi
Chaoniaeque cadant quercus, nudataque ramos
ulmus et audaci laurus sonet icta securi ;
quarum quaeque novam, fumo explorata calenti,
vertitur in faciem diversaque munia tractant.
Continuo auditus gruis inter nubila clangor
agricolam citat, et crista spectabilis alta
auroram gallus vocat applaudentibus alis.
Excitat ille operum socios ; simul horrida cautus
terga rudi centone fovet, capitique galerum
induitur, crudusque operit vestigia pero.
Hinc saturos jungens loris ad aratra juvencos
increpitat stimulo ; et cantu minuente laborem,
praelongis ferrata terit dentalia sulcis,
ac late elicibus collectos exprimit imbres,
jejunamque fimo tellurem et rudere pascit.
Tum plenum farris laeva servante canistrum,
semina dispensat parca cerealia dextra ;
quae ne jacta avidae populentur grana volucres
et praedam sublime ferant, it pone minutus

sarcula parva tenens puer, et frugem obruit arvo.
At cum se Eois jam vespertinus ab undis
extulit Arcturus, cum versicoloribus ardet
terra comis, rutilosque interviret herba colores,
Daulias et Getici tandem secura mariti
ales adest, plausuque larem cantuque salutat,
rursum invadit opus ; stivaeque innisus, adunco
pone nigrescentes proscindit dente novales,
quas rapidi soles urant gelidaeque pruinae.
Mox ubi jam sapiens coepit frondescere morus
(ante quidem sapiens, nunc ambitiosa, nec ullum
quae pariat pomum, sed serica pensa ministret),
ille aliam atque aliam culturam dulcis agelli
pertentans, truncos plantariaque infodit arvo ;
nec pictas lugubre fabas, nec pabula partit
vervacto mandare putri, glebasque bicorni
persequitur ferro, et secat insuperabile gramen,
et montem caedit scrobibus, fortique bidente
terga soli frangit, Bacchaeaque semina rectum
explicat in quincuncem et disserit ordine longo,
atque iterum atque iterum terra capita ima frequentat,
et ramos tondet falce, atque impune fluentem
compescit vitem fingens, et robore fulcit
deciduam, caraeque haerentem in pectore matris
acclinat subolem sulco juxtaque propagat,
aut ipso durus genetricis ab ubere flentis
abscissam rapit atque alio traducit alendam.
Quid dicam, externis cum se vernacula sucis
robora nobilitant, peregrinaque segmine duri
accipiunt trunci aut discreto germina libro ?
Namque oculis oculos non blandi tempora veris
jungere, sed mediis gaudet fervoribus aestas ;
aestas congestos Cereris tritura maniplos,
aestas absconsum siliqua excussura legumen,
aestas qua grandes expectant horrea messes,
dum coacervatas eventilet area fruges.
Tum sola pulverei pinguescunt arida campi,
solvunturque putres glebae, ac peritura lupini
germina parturiunt ; tum clivo rauca sonantes
eliciuntur aquae, praecepsque recumbit agro fons.
Post ubi jam medio vestigia librat in axe
ensifer Orion, croceoque insignis amictu
aspicit Arcturum pulsa Pallantias umbra,
sentibus horrentis aperit jam vinea sepes,
aureolamque metit lentis de vitibus uvam
vinitor, et foetos rubicundo nectare fructus,
quos conjunx, quos virgo comes, par vertice matri,
aut cista exportant aut rasilibus calathiscis ;
nec sentitur onus studio, levat ipsa laborem
sedulitas : quin frugiferos curvantia ramos
poma sinu baccasque ferunt ficumque nucemque.
Nec nihil addit hyems : nigros tum laurea foetus
exuitur, tum myrta legunt glandemque caducam,
glaucaque Palladiae destringunt brachia silvae.
Nocte autem ad lychnos aut junco texit acuto
fiscellam, aut crates virgis aut vimine qualos
rusticus, infinditque faces et robora valli,
dolia quassa novat, ferramentisque repellit

scabritiem, tritaque docet splendescere cote.
Nam quid delicias memorem, quamque alta labori
otia succedant ? Jam primum obsessa pruinis
cum juga floriferi regelaverit aura Favoni,
suave serenato rident vaga sidera caelo ;
suave ciet tardos per sudum luna juvencos ;
ipsa quoque aetherii melius nitet orbita fratris ;
terque quaterque manu madidantes nectare crines
exprimit, et glebas foecundis roribus implet
vecta Medusaeo Tithonia praepete conjunx.
Alma novum tellus vultu nitidissima germen
fundit, et omnigenis ornat sua tempora gemmis :
Idalio pudibunda sinus rosa sanguine tinguit ;
nigraque non uno viola est contenta colore
(albet enim, rubet et pallorem ducit amantum) ;
ut sunt orta, cadunt nive candidiora ligustra,
nec longum durant calathos imitata patentis
lilia, sed longum stant purpurei amaranthi ;
hic Salaminiaci scribunt sua nomina flores ;
hic gratum Cereri plenumque sopore papaver
oscitat ; hic inhiat sibimet Narcissus ; at illic
Corycios alit aura crocos, notumque theatris
aera per tenerum flatu dispergit odorem.
Nec jam flammeolae connivent lumina caltae,
nec melilotos abest ; Tyrium seges illa ruborem
induit, hic vivo cespes se jactat in auro ;
hae niveos, hae cyaneos superare lapillos
contendunt herbae, vernantque micantia late
gramina per tumulos perque umbriferas conualles
perque amnis taciti ripas ; atque omnia rident,
omnia luxuriant, et amica luce coruscant.
Parturiunt stipulae frugem, et genitalibus auris
pervia turgescunt lactentibus hordea culmis ;
palmes agit rupto lacrimantis cortice gemmas,
seque rudes primis monstrant in vitibus uvae.
Dulce virent tenerae modo nata cacumina silvae,
succrescuntque piae pullorum examina matri ;
ipsa sibi ignotas miratur adultera frondes
arbor, et ascitis nativas inserit umbras.
Auricomae, jubare exorto, de nubibus adsunt
Horae, quae caeli portas atque atria servant,
quas Jove plena Themis nitido pulcherrima partu
edidit, Ireneque Diceque et mixta parenti
Eunomie, carpuntque recentis pollice foetus ;
quas inter, Stygio remeans Proserpina regno,
comptior ad matrem properat : comes alma sorori
it Venus, et Venerem parvi comitantur Amores,
Floraque lascivo parat oscula grata marito ;
in mediis, resoluta comas, nudata papillas,
ludit et alterno terram pede Gratia pulsat ;
uda choros agitat Nais, decurrit Oreas
monte suo, linquunt faciles juga cella Napaeae,
nec latitat sub fronde Dryas ; non jubila Fauni
fundere, non junctis Satyri dare sibila cannis,
nec querulae cessant tenerum tinnire volucres.
Fluctibus alcyone, densa Philomela sub umbra,
canus olor ripis, tecto vaga plorat hirundo.
Lene susurrat apis, plenoque saporibus alveo

candida multiforae solidat fundamina cerae.
Colludunt per prata greges, atque omne beato
flagrat amore nemus ; juvenem lasciva maritum
fert equa, fert tergo salientem bucula taurum,
saetigeraeque subant matres, decertat amator
fronte aries, avidos olidum pecus accipit hircos.
Spectant innisi baculis gaudentque magistri.
Inde ubi praegnantes partu Lucina recenti
solvit, ut exaequet numero foetura parentes,
ipse rudem nec adhuc vestigia certa prementem
fert subolem gremio, sed ovem gracilem ve capellam
enisas humero subit, atque in stramine molli
componit sensim pastor stabuloque recondit.
Mox ut convaluere, rubos haec rupibus altis,
illa recens campo gramen decerpit aprico,
aut dulcis gelido delibant amne liquores,
ut sua conclusis ne desint pocula natis,
utque fluat plenis dives mulsura papillis.
Subrumi expectant haedique agnique petulci,
cornigerasque vocant tremulo clamore parentis.
Bruta gregem plenum densis alit uberibus sus
exporrecta solo, et grunnitu allectat amico
fellantis, turpique luto se immunda volutat ;
radices eadem calloso avidissima rostro
eruit et bulbum, aut madida se pulte saginat.
Flet vitulum maesta absentem mugitibus altis
mater, et immensam raucis miseranda querelis
silvam implet ; boat omne nemus vallesque lacusque ;
illa nigros late lucos saltusque peragrat
crebra gemens, crebra ad montem stabulumque revisit
tabescens desiderio ; non ulla dolorem
pabula nec salicum frondes nec gramina rore
sparsa levant, non quae viridi vaga flumina ripa
perspicuam tenui deducunt murmure lympham.
Prata tener persultat equus libatque volucri
aequora summa fuga, aut alti subit aspera montis
in juga, saxosumque amnem pede plaudit inermi.
Cui pulchro micat acre caput, luduntque decorae
fronte comae, vibrant aures, atque orbe nigranti
praegrandes extant oculi ; tum spiritus amplis
naribus it fervens, stat cervix ardua qualem
praefert Marmaricis metuenda leonibus ales,
ales quae vigili lucem vocat ore morantem.
Crescunt spissa toris lateque animosa patescunt
pectora, consurguntque humeri, et jam sessile tergum est,
spinaque depressos gemino subit ordine lumbos,
et castigatum cohibent crassa ilia ventrem.
Fundunt se laetae clunes, subcrispaque densis
cauda riget setis, et luxuriantia crebrae
velant colla jubae ac dextra cervice vagantur ;
tum tereti substricta genu mollissima flectit
crura ferox, celsum ingrediens, fremituque superbit ;
grande sonat tornata cavo brevis ungula cornu,
ingenti referens Corybantia cymbala pulsu.
O dulces pastoris opes ! O quanta beatum
quam tenet hunc tranquilla quies ! Ut pectore toto
laetitiam totaque fovet bona gaudia mente !
Nempe odii fraudumque expers, exemptus inani

ambitione vacansque metu, spe liber et insons,
nativo cultu et gaza praedives agresti,
ipse sibi vivit nullo sub teste, suoque
pendet ab arbitrio, suus ipse est censor, et alto
calcat opes animo ac regum deridet honores.
Si non Taenareis illi staut fulta columnis
robora, caelatumque alte laquearia subter
ridet ebur, postemve silex asaroticus ornat ;
nec Maurusiacos pulchrae testudinis orbis
Delphica sustentat, nec docto trita Myroni
pocula multiplici florent radiantia gemma,
aut bis in Herculea Milesia vellera concha
versantur, tenuique satur lanugine bombyx
luteolos follis pretiosaque fila relinquit ;
textile nec tenero subtemine fulgurat aurum
spirantis referens vultus, quae Pergamos olim
artifici descripsit acu, quae stamina Memphis,
quae Tyros et Babylon radio pinxere sonanti ;
at jacet in molli projectus cespite membra,
qua cavus exesum pumex testudinat antrum,
quave susurranti crinem dat aquatica vento
arbor ; et aut calamos aut fixa hastilia jungit
cortice, statque levi casa frondea nisa tigillo,
quam metuant intrare pavor curaeque sequaces,
sub qua jucundos tranquillo pectore sensus
nutrit inabruptoque fovet sua corpora somno
silvarum et pecoris dominus ; stant sedula circum
turba canes, audaxque Lacon acerque Molossus.
Dant ignem extritum silices, dant flumina nectar
hausta manu, dat ager Cererem ; non caseus aut lac
lucorumve dapes absunt ; stat rupibus ilex,
mella ferens trunco plenoque cacumine glandem.
Illi sunt animo rupes frondosaque tesqua,
et specus, et gelidi fontes, et roscida tempe,
vallesque, Zephyrique, et carmina densa volucrum,
et nymphae, et Fauni, et capripedes Satyrisci,
Panque rubens, et fronte cupressifera Sylvanus,
Silenique senes, subdivalesque Ithyphalli,
et montana Pales, et quo pastore Pheraei
gaudebant campi, et crinem resoluta Mimallon,
et qui cornigera bicolores fronte corymbos
pampineamque manu tenera quatit Evius hastam ;
semper amor, semper cantus et fistula cordi est,
semper odorati Venerisque stipendia flores,
vitarumque altrix urbi male nota voluptas.
Talibus in studiis pastor molle exigit aevum.
Post ubi raucisonae pinna vibrante cicadae
increpuere, ardensque metentibus ingruit aestus,
paulisper tum cessat opus, saxique sub umbra
prostrati indulgent genio : non mollia pleno
desunt vina cado, non lacti mixta polenta,
aut pinguis tergum vitulae, placidusque sonorae
lapsus aquae, crinemque aurae frontemque lacessunt.
Inde opus integrant, donec sub nocte coruscent
flammigero parvae stellantes clune volucres.
Ecce, autem dulces labris pater ingerit uvas
Autumnus, crebraeque elisus verbere plantae
it per praela latex, puerique examine denso

exultant lasciva cohors circumque supraque.
Ille manu panda pronus bibit, alter ab ipso
sugit musta lacu crepitantibus hausta labellis,
hic sua suspensum resupinus in ora racemum
exprimit, hic socii patulos irrorat hiatus
irriguumque mero sordet mentumque sinusque,
ebriaque incertis titubant vestigia plantis.
Postquam acris successit hyems et pendula tectis
diriguit glaties, larga strue tollitur alte
collucetque focus ; coeunt vicinia simplex
una omnes, juvenesque probi materque severa
conjuge cum duro et pueris et virgine grandi,
convigilantque hilares, et primae tempora noctis
decerpunt, molli curas abigente Lyaeo.
Mutuaque inter se ludunt : tum tibia folle
lascivum sonat inflato ; tum carmina cantant,
carmina certatim cantant ; tum tenta recusso
tympana supplodunt baculo, et cava cymbala pulsant,
et laeti saltant, et tundunt aeribus aera,
et grave conspirat cornu tuba flexilis unco,
conclamantque altum unanimes, tolluntque cachinnos.
Porro autem, quanta est differtae copia villae !
Quamque penu dives ! Neque enim vel frugibus hornis
horrea sufficiunt, vel odoro dolia musto,
testaque Palladiis jam non vacat ulla trapetis.
Terga suis pendent fumoso sordida tigno ;
pertica pensilibus oneratur longa racemis ;
non uvae arentes, non pruna et Carica desunt,
sorbaque cum cerasis, duroque putamine clausa
Persica nux, regumque alias imitata coronas
mespila, cumque piris miserorum munus amantum
jam laxum in rugas malum, decoctaque ahenis
defruta, et omphacinus liquor, et lacrimosa sinapis,
et meditata novos Sicyonia bacca sapores ;
tum sapa, melque recens, edulcatique lupini,
et prunae increpitans balanus, contextaque cannis
fiscina lacte madens, et durati sale fungi ;
annonam facilem vicinus suggerit hortus.
Murmur apricantes nivea dant turre columbi ;
expandunt alas, et amicam blanda rogantes
oscula circumeunt insertantque oribus ora ;
jam vicibus nido incubitant genetrixque paterque,
jamque ova excudunt, natisque implumibus escam
commansam alternant, rostellaque hiantia complent.
Adde gregem cortis cristatarumque volucrum
induperatores, laterum qui sidera pulsu
explaudunt, vigilique citant Titana canore,
et regnum sibi Marte parant : quippe obvia rostris
rostra ferunt, crebrisque acuunt assultibus iras ;
ignescunt animis, et calcem calce repulsant
infesto, adversumque affligunt pectore pectus.
Victor ovans cantu palmam testatur, et hosti
insultans victo, pavidum pede calcat iniquo.
Ille silet, latebrasque petit, dominumque superbum
ferre gemit ; comes it merito plebs caetera regi,
formoso regi, cui vertice purpurat alto
fastigatus apex, dulcique errore coruscae
splendescunt cervice jubae, perque aurea colla

perque humeros it pulcher honos ; palea ampla decenter
albicat ex rutilo, atque torosa in pectora pendet
barbarum in morem ; stat adunca cuspide rostrum,
exiguum spatii rostrum ; flagrantque tremendum
ravi oculi ; niveasque caput late explicat auris ;
crura pilis hirsuta rigent, juncturaque nodo
vix distante sedet ; durus vestigia mucro
armat ; in immensum pinnaeque hirtique lacerti
protenti excurrunt, duplicique horrentia vallo
falcatae ad caelum tolluntur acumina caudae.
Ipse salax totam foecundo semine gentem
implet, et oblongo nunc terram scalpurit ungui
rimaturque cibos, nunc edita nubila visu
explorat cauto. Non illum squamea tuto
aggreditur serpens, non raptor ab aethere milvus.
Vocibus interea crebrum singultat acutis
parturiens conjunx : quae scilicet ova subinde
tollit anus signatque dies, vigilemque lucernam
consulit ; et lunae crescentis tempora servans,
ut primum gallina glocit, numero impare subdit ;
versatisque diu, sollers auscultat an intus
pipiat involucer pullus, tenerumque putamen
pertuderit molli rostro atque erumpere tentet.
Parte alia bifero plumosam corpore messem
nutrit, et in crassa satur urinare lacuna
anser avet ; stagnumque super pede remigat udo
depictae cervicis anas, prolemque natatum
invitans, nunc extat aquis, nunc mergitur alte.
Erigit explicitae gemmata volumina caudae
ambitiosus amans. At ficu et polline gliscit,
pellaci cantu deceptus ab aucupe, turdus.
Insidit mutilo turtur, seseque saginans
rauca gemit, dulcesque miser suspirat amores.
Flet viduus perdix, queritur peregrina coturnix,
inclusi caveis. Hic caeca cuniculus antra
excavat, hic septo praegnans lepus errat in amplo,
capreolique, hinulique, et aduncis dentibus apri ;
hac stertunt glires, hac femina foetat echinus.
Daedala somniferos peragunt examina bombos,
plenaque captivos servant vivaria pisces.
Scilicet his opibus placide sua corpora curant,
dulciaque inter se laeti tellure magistra
officia exercent, ut quae neque ferre recuset
imperium, neque non grandi mercede rependat,
si qua laborifero debentur farra colono.
Ille autem et volucri petit ardua sidera mente,
scrutaturque sagax quae sit sententia divum :
quid quaeque emergens latitans ve oriens ve cadens ve
stella paret ; quid quadruplici celer afferat annus
cardine ; quae sulcis, quae sint stata tempora messi ;
quidque pecus vehat Olenium ; qua grandine collis
trux Nepa dilapidet ; quo turbine surgat Orion ;
quos glomerent imbris aut pressus Arione delphin,
aut Pleas, Arcturusque senex, Hyadesque puellae ;
unde bibant herbae divini pocula lactis ;
cur rubigo satis uredoque vitibus obsit ;
quid nebulas abigat tempestatesque repellat ;
quod vento ingenium ; quae nubes causa serenet ;

quidque silens moneat, quidque intermenstrua Phoebe,
vel cum plena meat, vel cum decrescere rursum
incipit. Ille etiam numeros legesque dierum
providus observat. Scit enim quid septima portet,
in qua nascentem excepit bona Delia fratrem ;
scit quoque post decimam quid prima quid altera luces
injungant operum, quocirca aut vellera lanae
demetit aut gravido maturas mergite aristas,
aut telam locat uxoris : nam pendula in ortu
posteriore suos etiam net aranea casses.
Quae sequitur, bona virgultis, inimica serendis
frugibus ; ergo cavet quod obest, quodque expedit urguet.
Novit enim quota connubiis, quota partubus obstet
aspiret ve dies ; quota pinguem emasculet haedum,
septaque circumdet pecori ; quota jungat amantis,
et clandestinos jubeat miscere susurros ;
qua ponat canis hirritum, malesuadaque pectus
cura nimis laceret ; qua tristis oberret Erinnys
nocte magis. Secat ille suo sibi tempore lignum,
dolia degustat, subigit juga ferre juvencum.
De flabris quoque, de pluvia dulcique sereno,
aut lunae occasus aut idem consulit ortus :
tractat opus, si pura micet ; sin atra recedat,
aut quinto directa die aut medio orbe retusa,
nec gracili cornu, aut triplici sit culta corona,
tecta subit metuens hyemis ; si rubra coruscet,
tum vero expectat ventos, nec fallit eundem
quo Borean cornu, quo Cynthia provocet Austrum.
Consulit et Phoebi flammas : an grandinis augur
palleat ; an radiis monstret discordibus imbrem ;
an prae se exoriens nubis agat ; an niger orbem
circulus extremum claudens, qua rumpitur, acres
carceris Aeolii moneat consurgere flatus.
Adnotat et caeli faciem : num stella sereno
aethere lapsa cadat, rapidi praenuntia Cauri ;
conscia num subita semet caligine obumbrent
astra, trahantque hyemem ; gemino Thaumantias arcu
quid ferat, aut curto cum vix secat aera gyro,
et pene unicolor taurina fronte minatur ;
nunc praesepe oculis, nunc Bacchi spectat asellos,
quique Noton cernit quique est obversus ad Arcton ;
fulgores, tonitrus, inspersaque vellera caelo,
brumalemque diem, et totum semel aspicit annum.
Necnon et nautis ruiturum in carbasa nimbum
augurat, undisonum si fors mare surrigit Aegon
canaque conspergit sale saxa et litora frangit.
Tunc et tristifico reboant montana fragore,
et repetunt siccum mergi, atque ex aequore clamant ;
ipsa volans sublime auras aethramque lacessit
ardea ; colludunt fulicae plauduntque gregatae ;
at lasciva lacus alis praestringit hirundo
et summas prope radit aquas, ranaeque coaxant.
Fusca gradu cornix lento metitur harenas,
aut fluvium capite et madida cervice receptat,
crocituque gravi pluviam increpat usque morantem ;
clangunt Naupliadae volucres, et pervia pinnis
nubila conscribunt ; incertus in aequore delphin
difflat aquas ; latrant corvi vocemque resorbent ;

progerit ova cavis patiens formica laborum ;
blanda canis terram pedibus scabit ; ore lapillos
tardigradus prendit cancer, seseque saburrat,
atque haeret ripae ; densum occinit improbulus mus,
straminaque exculcat ; quin centipedes scolopendrae
parietibus reptant ; aures pigra motat asella ;
dependent bullae lychno ; sitiensque cruoris
musca redit, summosque proboscide mordicat artus ;
nec longe a tectis apis ingeniosa recedit ;
prunaque concretusque ima cinis haeret in olla,
carboque pellucet. Neque non praenuntiat Euros
pluma natans, foliumve errans, pappique volantes,
flammaque cum flectit, cum sese elidit et ipsis
vix sedet in stuppis scintillamque excutit udam.
Vos quoque, pastores, ventos horretis et imbres,
cum temere excursans pecus ampla in pascua fertur,
cumque alacres ludunt agni calcisque protervos
subsultim incutiunt inter se et cornibus haerent,
aut cum se e pastu vi vix aegreque revellunt ;
cumque boves liquidi suspectant lumina caeli,
olfactantque auras, et sucos naribus udos
crebra trahunt, dextrumque latus consternere gaudent,
aut lingunt adversa pilos, aut vespere sero
mugitu ingenti redeunt caulasque fatigant ;
cum sibi non factos sus dissipat ore maniplos ;
cumque antro lupus exululat, cumque improbus idem
nec metuens hominum propius consistit, et offert
se mendicanti similem ac loca culta pererrat.
Ergo in consilium maria advocat aethera terras
naturamque omnem, vivitque auctoribus astris,
cura deum, agricola, atque animo praescita recenset,
et rerum eventus sensu praesagit acuto.
Hanc, o caelicolae magni, concedite vitam !
Sic mihi delicias, sic blandimenta laborum,
sic faciles date semper opes ; hac improba sunto
vota tenus. Nunquam certe, nunquam illa precabor,
splendeat ut rutilo frons invidiosa galero,
tergeminaque gravis surgat mihi mitra corona.
Talia Faesuleo lentus meditabar in antro
rure suburbano medicum, qua mons sacer urbem
Maeoniam longique volumina despicit Arni,
qua bonus hospitium felix placidamque quietem
indulget Laurens, Laurens haut ultima Phoebi
gloria, jactatis Laurens fida ancora Musis.
Qui si certa magis permiserit otia nobis,
afflabor majore deo : nec jam ardua tantum
silva meas voces montanaque saxa loquentur,
sed tu (si qua fides), tu nostrum forsitan olim,
o mea blanda altrix, non aspernabere carmen,
quamvis magnorum genetrix, Florentia, vatum ;
doctaque me triplici recinet facundia lingua.

*********

1 AMBRA : de Homeri et Homericis poematibus
2 MANTO : de Virgilii Bucolicis
3 NUTRICIA : de classicis poetis
4 RUSTICUS : de Hesiodi et Virgilii georgicis poematibus